habet ſpeciem peccati, dimittendum eſt ſemper propter proximi caritatem, qua unuſquiſque tenetur ſaluti proximi providere. Et ſic qui non dimittit, contra caritatem agit.

Si tamen ſubſit ratio legitima id faciendi, quod mali ſpeciem præ ſe fert, ut neceſſitas, vel magna utilitas, & cavetur, quantum fieri poteſt, ut qui operis conſcii ſunt, illud & recta intentione, & ex cauſſa legitima fieri, neque revera malum eſſe noverint, nullius eſt ſcandali reus, qui ab eo opere non abſtinet, quia utitur jure ſuo: quod autem aliquis ex eo offendatur, non ex ipſo provenit opere, ſed ex illius malitia. Sic *Naaman* Syro permiſit *Eliſeus*, ut Regi Syriæ Domino ſuo Idolum adoranti obſequium præſtaret, corpuſque ad illum ſuſtentandum incurvaret, quod mali quidem ſpeciem præ ſe ferebat: ſed tamen cum *Naaman* unius veri Dei cultum palam profiteretur, perſpectum ſatis, & exploratum erat, illum ad fulciendum Regem pro ratione, & neceſſitate officii ſui, non ad cultum Idoli genuflectere. Sic *Judith* ornavit ſe, & ornata *Holofernem* adiit, non eo animo, ut ipſum ad amorem illicitum pelliceret: nam illi etiam: *Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret*: ſed ad honeſtam familiaritatem. Et quamvis *Holofernem* laqueo occulorum ſuorum poſſe capi non ignoraret, jure tamen ſuo uſa eſt, ſciens ejus peccatum imputandum ſibi non fore. Sic *David* panes propoſitionis urgente neceſſitate comedit (1. *Reg.* 21.) & Machabæi die Sabbati pugnaverunt (1. Mach. 2.) Quoniam compertum erat juſtam neceſſitatem id poſtulare.

REGULA V.

Qui juſſu, ſuaſione, conſilio, precibus, auctor eſt alteri, ut id faciat, quod abſque peccato fieri non poteſt, reus eſt ſcandali.

Ipſum enim directe impellit ad peccatum. Nec refert, quod paratum invenias: non enim pravum propoſitum opere exequeretur, niſi occaſione data, quam tu Dæmonis functus officio, & tentatoris perſonam agens, ipſi offers, & præbes. Unde *S. Thom.* 2. 2. qu. 78. art. 4. docet, nuſquam licere impellere, ſeu invitare alterum ad jurandum per falſos Deos, vel ad dandum mutuum cum uſurarum conditione, quamvis hujuſmodi juramentum, & mutuum recipere liceat, ſi poſtulet neceſſitas.

REGULA VI.

Scandali reæ ſunt Mulieres Chriſtianæ, quæ vel ea ſe ornant intentione, ut viros ad amorem alliciant inhoneſtum: vel habitu diſſoluto, & immodeſto utuntur, qui virorum concupiſcentiam excitare poſſit.

De habitu diſſoluto, & immodeſto mulierum.

Muliebris enim cultus viros ad laſciviam provocat, ſecundum illud Prov. 7. *Ecce mulier occurrit illo ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas.* Poteſt tamen mulier licite operam dare, ut viro ſuo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur. Unde 1. ad Corinth. 7. dicitur: *Mulier, quæ nupta eſt, cogitat, quæ ſunt Mundi, quomodo placeat viro.* Et ideo (inquit *S. Th.* 2. 2. qu. 169. a. 2.) *Si mulier conjugata ad hoc ſe ornet, ut viro ſuo placeat, poteſt hoc facere abſque peccato. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, vel ſunt in ſtatu non habendi, non poſſunt abſque peccato appetere placere virorum aſpectibus ad concupiſcendum, quia hoc eſt dare eis incentivum peccandi. Et, ſiquidem hac intentione ſe ornent, ut alios provocent ad concupiſcentiam, mortaliter peccant.*

Et in reſponſione ad primum, explicans verba *S. Petri* Epiſt. 1. c. 3. *Quarum non extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus*, ait, illum non prohibere mulieribus conjugatis ornari, ut placeant viris, ne detur eis occaſio peccandi cum aliis. Unde Apoſt. 1. ad Tim. 2. ait: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa.* Itaque *Sobrius, & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuperfluus, & inverecundus, & impudicus.*

Hæc Tertulliani doctrinæ conſona ſunt Lib. 2. *De Cultu Fœminarum*, c. 2. *Perfecta*, inquit, *ideſt Chriſtiana pudicitia, appetitionem ſui non tantum appetendam, ſed etiam execrandam vobis ſciatis: primo quod non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus. Quid igitur excitas in te malum iſtud? Quid invitas, cujus te profiteris extraneum? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam (quod Deus a ſuis abigat) inſtando perficiunt, certe vel Spiritum ſcandalo permovent. Debemus quidem ita ſancte, & tota fidei ſubſtantia incedere, ut confiſæ, & ſecuræ ſimus de conſcientia noſtra, optantes perſeverare id in nobis, non tamen præſumentes. Nam qui præſumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur . . . Quid autem alteri periculo ſumus? Quid alteri concupiſcentiam importamus? Quam ſi Deus non ampliando legem facto ſtupri non diſcernat in pœna, neſcio an impune habeat, quæ alicui fuerit cauſſa perditionis? Perit enim ille ſimul, ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi, ut, etſi a culpa vaces, ab invidia non libereris. Ut cum in alicujus agro latrocinium geſtum eſt, crimen quidem dominum non contigit: dum reus tamen ignominia notatur, ipſe quoque in familia aſpergitur.*

Et c. 9. *Hæ Pompæ*, inquit, *quam de proximo curet luxuriæ negotium, dignoſcere in facili eſt, quod gratiam decoris cultus ſocietate proſtituant. Adeo ſi deſint, irritam, & ingratam reddunt, velut exarmatam & naufragam. Contra ſi forma defecit, adminiculum nitoris quaſi de ſuo gratiam ſupplet. Ætates denique requietas jam, & in portum modeſtiæ ſubductas ſplendor & dignitas cultus avocant, & ſeveritatem appetitionibus inquietant, compenſantibus ſcilicet habitus irritamentum pro frigore ætatis.*

Habitus diſſolutus & immodeſtus mulierum.

Idem confirmat *S. Cypr.* Lib. *De Diſciplina, & Habitu Virginum*, ubi ornamentorum, ac veſtium inſignia, & lenocinia formarum, nonniſi proſtitutis, & impudicis fœminis congruere ait: & nullarum fere pretioſiorem cultum eſſe, quam quarum pudor virilis eſt. In Scripturis (ſcilicet *Apoc.* 17.) deſcribi civitatem meretricem comptam pulchrius, & ornatam, & cum ornamentis ſuis, ac propter ipſa potius ornamenta perituram. Iſaiam quoque Spiritu Sancto plenum filias Sion propter ornatus immoderationem, laſciviam, & ſuperbiam increpare, c. 3. *Dixit Dominus; Pro eo, quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant: Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra: Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Atque hinc colligit *S. Cypr.* Mulieres immoderato ſuperbo, ac diſſoluto ornatu corruptas eſſe, exaltatas cecidiſſe, comptas turpitudinem, fœditatemque meruiſſe, ſericum, & purpuram indutas vix Chriſtum induere poſſe, auro, margaritis, & monilibus adornatas, ea nimirum intentione, ut viros ad amorem inhoneſtum alliciant, vel ea immoderatione, diſſolutione, ac elegantia, quæ virorum concupiſcentiam excitare poſſit, ornamenta cordis, ac pectoris perdidiſſe. Tum ſubdit: *Quis non id execretur, & fugiat, quod alii fuerit exitio? Quis id appetat, & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hauſto poculo moreretur ille, qui biberat, venenum ſcires eſſe, quod ille potavit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret: ſcires eſſe lethale, quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde, nec biberes, unde interiſſe alios ante conſpiceres. Nunc quanta ignorantia veri eſt, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit ſemper, & noceat: & putare, quod inde ipſa non pereas, unde alios periiſſe cognoſcas?*

Et in eodem Libro: *Ceterum ſi tu te ſumptuoſius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, ſuſpiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpirandi fomenta ſuccedas, ut etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas, excuſari non potes quaſi mente caſta ſis, & pudica.*

Eandem Regulam confirmat *S. Jo: Chry.* Hom. 17. in Ev. S. Matthæi *Si qua vero*, inquit, *ideo ornatur, & comitur, ut in ſe oculos omnium irritet, etiamſi nullum pulchritudine ſua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema ſupplicia. Paravit, quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamſi nullus, qui biberet, inventus eſt.*

Hanc denique Regulam confirmat *S. Carolus Borromæus*, in Inſtructionibus: *Reum*, inquit, *peccati mortalis non ſolum facit in veſte ſumptus, facit aliquando & modus, ſi nempe immunditiam inſpiret, vel ex ſe, vel juxta communem hominum opinionem, vel ſi videat, conjiciatve ſaltem probabiliter, ex occaſione illius, quod inter honeſtos conditionis ſuæ viros, ac mulieres nondum ſit uſitata, non defuturos, qui amorem impudicum concipiant, conceptumque (niſi protinus abjiciat) retineant diutius: contemnens, aut certe parvifaciens illorum hominum ſalutem, ſi eodem ornatu uti pergit, haud dubium, quin mortaliter peccet.*

REGULA VII.

Superfluus, & immoderatus Mulierum ornatus; & cultus nuſquam abſque peccato eſt.

Peccati mortalis reum in veſte facit ſumptus, vel modus.

Chriſtianæ enim Diſciplinæ ab Apoſtolis traditæ repugnat 1. ad *Timoth.* cap. 2. *Mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Et 1. Petri cap. 3. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.*

Quot modis peccetur in veſtitu, totoque cultu exteriori.

Et certe quamvis in veſtibus, totoque cultu exteriori nullum vitium ſit, ex parte tamen eorum, qui his immoderate utuntur, multiplex peccatum committi poteſt Primo, ſi hominum inter quos vivimus, laudabilem conſuetudinem violemus: unde *Sanctus Auguſtinus*, Lib. 3. *Confeſſionum*, c. 8. ait: *Quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nullius civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.*

Secundo, cum pravo affectu ornatus, & cultus externus adhibetur, ſive ſervetur conſuetudo eorum, quibus convivimus, ſive violetur. Unde *S. Aug.* Lib. 3. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 12. *Sicut*, inquit, *talares, & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honeſto loco natis, cum tunicati ſunt, non eas habere flagitium eſt, ſic animadvertendum eſt in cetero quoque uſu rerum abeſſe oportere libidinem, quæ non ſolum ipſa eorum, inter quos vivit, conſuetudine nequiter abutitur, ſed etiam ſæpe fines ejus egreſſa, fœditatem ſuam, quæ inter clauſtra morum ſolemnium latitabat, flagitioſiſſima eruptione manifeſtat.*

In his ergo etſi non rerum uſus, libido tamen utentis in culpa eſt. Quod tripliciter contingit; Primo, ſi quis ex ſuperfluo, & immoderato veſtium cultu inanem gloriam quærat, ut vulgo quærunt, qui ornatum, cultumque ſuo ſtatui, & conditioni minime convenientem, & pretioſiorem, quam par ſit, affectant & uſurpant. De quibus *S. Gregor. Magnus*, Homilia 40. in Evangelia ait: *Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium, pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum, quod ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod Dives, qui torquebatur apud inferos, byſſo, & purpura indutus fuiſſet. Nemo quippe veſtimenta pretioſa niſi ad inanem gloriam quærit: videlicet, ut honorabilior ceteris videatur. Nam quia pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur, quod nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri.*

Secundo, peccatum eſt in cultu veſtium immoderato, ſi quis illis abutatur ad delicias.

Tertio, ſi nimiam ſollicitudinem adhibeat in corporis ornatu, cultuque quærendo, retinendo, aptando, ut ſolent mulieres in mundo muliebri: quem tamen ſi exquirant, & adhibeant *Ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate; propter jactantiam quandam, non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc eſt de viris.* Ita docet *S. Th.* 2. 2. q. 169. art. 1. & 2. Et in c. 1. Epiſtolæ 1. ad *Timotheum*, Lect. 1. *Secundum Auguſtinum*, inquit, *duo ſunt conſideranda in ornatu mulierum, ſcilicet ſimplex ornatus, & fucatus. Simplex ornatus, puta in veſte, & in auro, & hujuſmodi: quod poteſt fieri cum peccato tribus modis, ſcilicet ex prava intentione, ut ſi intendant commotionem concupiſcentiæ, oſtentationem, vel inanem gloriam. Prov. 7.* Præparata ad capiendas animas. *Secundo, ſi fiat præter conſuetudinem patriæ, quod fit diverſimode: quod enim excedit modum conſuetum patriæ, hoc ex levitate animi eſt. Tertio, ſi conditionem ſui ſtatus excedit. Sed ſervata intentione recta: conſuetudine patriæ, & conditione ſtatus, non eſt peccatum.*

Chriſtianis indignum eſt gloriam ex cultu corporis, & ornatu veſtium aucupari.

Ceterum quam indignum ſit Chriſtanis Mulieribus, aut Viris, qui humilitatem profiteri debent, gloriam ex decore, cultuque corporis, & ornatu veſtium aucupari, egregie oſtendit *Tertull.* Lib. 2. *De Cultu Fœminarum*, cap. 3. *Viderit*, inquit, *quem juvat de carne gloriari. Nobis autem, primo quidem nullum gloriæ ſtudium eſt: quia gloria exaltationis ingenium eſt. Porro exaltatio non congruit profeſſoribus humilitatis ex præſcriptis Dei. Dehinc ſi omnis gloria vana, & ſtuprata, quanto magis, quæ in carne? Nam etſi gloriandum eſt, in ſpiritu bonis, non in carne placere velle debemus, quia ſpiritualium ſectatores ſumus. Quibus operamur, illis gaudeamus. De his gloriam carpamus, de quibus ſalutem ſperamus. Plane gloriabitur Chriſtianus etiam in carne, ſed cum propter Chriſtum lacerata duraverit, ut ſpiritus in ea coronetur, non ut oculos, & ſuſpiria adoleſcentum poſt ſe trahat.* Præterea Fœminas Chriſtianas docet, primi delicti memorem, *Evam lugentem, & Pœnitentem* in ſe circumferre, quod plenius id, quod de Eva trahunt, ignominiam ſcilicet primi peccati, & invidiam perditionis humanæ, omnis ſatisfactionis habitu expiare ſtudeant. *Vivit ſententia Dei ſuper ſexum iſtum in hoc ſæculo, vivat & reatus neceſſe eſt. Tu es Diaboli janua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es divinæ legis primadeſertrix, tu es, quæ eum perſuaſiſti, quem Diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei hominem tam facile eliſiſti. Propter tuum meritum, ideſt, mortem, etiam Filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente eſt ſuperpelliceas tuas tunicas . . . . Omnia iſta damnata & mortuæ Mulieris impedimenta ſunt, quaſi ad pompam funeris conſtituta*; (inquit idem *Tertull.* Lib. 1. cap. 1.)

Caſtitatis & humilitatis profeſſio mulieres Chriſtianas ad cultus, & ornatus modeſtiam obligat.

Et cap. 4. rurſus docet, Caſtitatis, Humilitatiſque profeſſionem poſtulare, ut Mulieres Chriſtianæ modeſto cultu, & habitu incedant. *Habitus fœminæ*, inquit, *duplicem ſpeciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Illo in auro, & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur: iſte in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri proſtitutionis; ut jam hic conſpicias, Dei Ancilla, quid ex his Diſciplinæ tuæ conveniat, quæ de diverſis inſtitutis cenſearis, ſcilicet humilitatis, & caſtitatis.*

Non tetrica, ideſt, non gravis, non ſeria non ſancta.

Et cap. 11. *Propter iſtos*, inquit, *conventus, & mutuum videre, ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, ut aut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat. Vobis autem nulla procedendi cauſſa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus viſitatur, aut Sacrificium offertur, aut Dei Sermo adminiſtratur. Quidvis horum gravitatis, & ſanctitatis negotium eſt, cui opus non ſit habitu extraordinario, & compoſito, & ſoluto.*

REGULA VIII.

Scandali reæ ſunt Mulieres, quæ collum, pectus, brachiave nudant, & ita compoſitæ in publicum prodeunt.

Habitus diſſolutus, & immodeſtus mulierum.

Diſſoluta enim hujuſmodi nuditate occaſionem ruinæ viris præbent. Unde quamvis ipſæ caſtæ eſſent, inſontes tamen non eſſent. Sed verum, & plenum pudicitiæ bonum in ipſis æquus rerum æſtimator nemo agnoſcet. *Pudicitiæ enim vero Chriſtianæ non ſatis eſt eſſe, verum & videri. Tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, ut emanet ab animo ad habitum, & eructet a conſcientia in ſuperficiem.* Cum fœminæ Chriſtianæ merito *Sacerdotes pudicitiæ* dicantur, indignum plane eſt, ut impudicarum ritu comptæ, & ornatæ procedant: *Quid enim minus habent infeliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ? Quas ſi quæ Leges a maritalibus, & matronalibus decoramentis coercebant, jam certe ſæculi improbitas quotidie inſurgens, honeſtiſſimis quibuſque fœminis, uſque ad errorem dignoſcendi coæquavit*; inquit *Tertull.* Lib. 3. *De Cultu Fœminarum*.

Nec refert, quod impudicam intentionem non habeant, ſed vanam duntaxat gloriam captent de pulchritudine, aut commoditati tantum ſuæ conſulere velint. Nihilominus enim ſe ipſas, viroſque in periculum peccati mortalis conjicientes, lethaliter peccant. Ut enim ait *Tertull.* Lib. *De Virginibus velandis*, cap. 13. *Ubi gloria, illic ſollicitatio, ubi ſollicitatio, illic coactio, ubi coactio, illic neceſſitas, ubi neceſſitas, illic infirmitas. Merito itaque dum caput non tegunt, ut ſollicitentur gloriæ cauſſa, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina.*

Nec ipſas excuſat conſuetudo, quæ verius corruptela dicenda eſt, Naturæ, Scripturæ, Diſciplinæ contraria, quæ mulieres velatas incedere jubent, non caput, collum, pectus, brachia nuda, & nundinatitia proferre. *In his* (inquit *Tertull.* cap. 15. ejuſdem Libri) *conſiſtit defenſio noſtræ opinionis ſecundum Scripturam, ſecundum Naturam, ſecundum Diſciplinam. Scriptura legem condit, Natura conteſtatur, Diſciplina exigit. Cui ex his conſuetudo opinionis prodeſt, vel qui diverſæ ſententiæ color eſt? Dei eſt Scriptura, Dei eſt Natura, Dei eſt Diſciplina: quicquid contrarium eſt iſtis, Dei non eſt. Si Scriptura incerta eſt, Natura manifeſta eſt, & de ejus teſtimonio Scriptura incerta non poteſt eſſe; ſi de Natura dubitatur, Diſciplina, quid magis Deo ratum ſit, oſtendit. Nihil eſt illi carius humilitate, nihil acceptius modeſtia, nihil pretioſius gloria, & ſtudio hominibus placendi . . . Oro te, ſive mater, ſive ſoror, ſive filia virgo, vela caput: ſi mater, propter filios; ſi ſoror, propter fratres: ſi filia, propter patres. Omnes in te ætates periclitantur: indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos . . . . Chriſtus eſt, qui & alienas ſponſas, & maritatas velari jubet, utique multo magis ſuas. Sed & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidiſtis, ne ſic a diſciplina velaminis exoleſcatis, ne quidem in momento horæ, ut quia rejicere illam non poteſtis, alio modo deſtruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes. Mitris enim, & lanis quadam non velant caput, ſed conligant, a fronte quidem protectæ, qua propriè autem caput eſt, renudæ. Aliæ modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures uſque demiſſis cerebro tenus operiuntur . . . . Sciant, quia totum caput mulier eſt. Limites, & fines ejus eo uſque porriguntur, unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipſæ enim ſunt, quas ſubjectas eſſe oportet, propter quas poteſtas ſupra caput haberi debet; velamen jugum illarum eſt. Judicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint dimidia frui luce, quam totam faciem proſtituere. Quas propterea infeliciſſimas ait Romana quædam Regina, quod adamare magis, quam adamari poſſint, cum ſint ex alterius infelicitatis, & quidem frequentioris immunitate felices, quia facilius adamari, quam adamare fœminæ poſſunt.*

Hanc Regulam confirmat *Clemens Alexandrinus* Lib. 2. *Pædagogi*, c. 2. *Nullo modo* (inquit) *permittendum eſt mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur: hi quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in ſe virorum intuitum attrahant.*

Mulieribus, quæ pectore, humeris, brachiiſve nudis pro-

Et *S. Hieron.* Epiſtol. 8. ad *Demetriadem* de Virginitate ſervanda: *Illa*, inquit, *tibi ſit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter ſocias, quæ ſe neſcit eſſe pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus, & cel-*

dennt in publicum, abſolutio, & communio neganda,

cella denudat, nec pallio revoluto cervicem operit. Quamobrem mulieres, quæ pectore, humeris, brachiiſve nudis prodire in publicum non erubeſcunt, Abſolutione Sacramentali, & Sacra Communione donari vetant Synodus Andegavenſis an. 1607. Statuta Synodalia Biſuntinæ Eccleſiæ, tit. 14. Stat. 11. Statuta Synodica Diœceſis Cadurcenſis anno 1638. c. 9. Rituale Cituricenſe editum ann. 1666. c. 4. *De Sacramento Pœnitentia*, Conſtitutiones, & Inſtructiones Synodicæ *S. Franciſci Saleſii* & Illuſtriſſimi *Arentonii d' Alex*, Genevenſium, Epiſcoporum p. 4. tit. 10. n. 4. Statuta Synodica Diœceſis Aginnenſis, tit. 30. n. 10. Conſtitutiones Synodicæ Eminent. Cardinalis *Grimaldi* Aquenſis Archiepiſc. &c.

REGULA IX.

Scandali reæ ſunt Mulieres, quæ fucis vultum adulterant, aut capillos tingunt, & lethalis plerunque peccati reatum incurrunt.

Fucorum uſus quam grave peccatum.

Fucos a Dœmonibus inventos, eorumque uſum edoctas ab illis fuiſſe Mulieres, aſſerere non dubitat *Tertull.* Lib. 1. *De Cultu Fœminarum*, c. 2. Lib. 2. c. 5. & ſequentibus oſtendit, quam ſit contrarius Chriſtianæ morum Diſciplinæ fucorum uſus, & quam grave ſit peccatum. Ubi enim præmiſit, *in juſtitia corporis excolendi* non ſupergrediendum ultra quam ſimplex, & ſufficiens munditia poſtulat, ultra quam Deo placet, ſubdit: *In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt. Diſplicet nimirum illis plaſtica Dei: in ipſis ſe nimirum arguunt, & reprehendunt Artificem omnium. Reprehendunt enim, cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adverſario Artifice ſumentes additamenta. Is eſt Diabolus. Nam quis corpus mutare monſtraret, niſi qui & hominis ſpiritum malitia transfiguravit? Ille indubitate hujuſmodi ingenia concinnavit, ut in vobis pateat manus vos quodammodo Deo inferre. Quod naſcitur, opus Dei eſt. Ergo quod infingitur, diaboli negotium eſt. Divino operi Satanæ ingenia ſuperducere, quam ſceleſtum eſt? Servi noſtri ab inimicis noſtris nihil mutuantur. Milites ab hoſte Imperatoris ſui nihil concupiſcunt. De adverſario enim ejus, in cujus manu ſis, aliquid uſui poſtulare, tranſgreſſio eſt. Chriſtianus a Malo illo adjuvabitur in aliquo! Neſcio an hoc nomen ei perſeveret. Erit enim ejus, de cujus doctrinis inſtrui concupiſcit. Quantum autem a veſtris diſciplinis, & profeſſionibus aliena ſunt, quam indigna Nomine Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur? Effigie mentiri, quibus lingua non licet? Appetere, quod datum non ſit, quibus alieni abſtinentia traditur? Adulterium in ſpecie exercere, quibus ſtudium pudicitiæ ſit? Credite, Benedictæ, quomodo præcepta Dei cuſtodietis, lineamenta ejus in vobis non cuſtodientes? . . . Dominus ait, Quis veſtrum poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro?* (Matth. 5.36.) *Itaque revincunt Deum. Ecce,* inquiunt, *pro albo, vel atro flavum facimus, gratia faciliorem. Quamvis & atrum ex albo conatur facere, quas pœniteat ſenectam uſque vixiſſe! Proh temeritas! Erubeſcit ætas exoptata votis, furtum conficitur; adoleſcentia, in qua delinquimus, ſuſpiratur, occaſio gravitatis interpolatur. Abſit Sapientiæ filiabus ſtultitia tanta. . . . Quid tanta ordinandi crinis operoſitas ad ſalutem ſubminiſtret? Quod crinibus veſtris quieſcere non licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis, modo eliſis? Aliæ geſtiunt in cincinnos coercere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bona ſimplicitate. . . Prodite vos medicamentis, & ornamentis exſtructæ Prophetarum, & Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depicta oculos verecundia & os taciturnitate, inſerentes in aures ſermones Dei, adnectentes cervicibus jugum Chriſti, caput maritis ſubjicite; & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in auro placebitis. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem.*

Eandem Regulam confirmat *S. Cyprianus*, Lib. *De Diſciplina & Habitu Virginum*, ubi non Virginem tantum aut Viduas, *ſed & nuptas, & omnes omnino fœminas* admonet, *quod opus Dei, & factura ejus, & plaſtica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine. Dicit Deus:* Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, *& audet quiſquam mutare, & convertere, quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt, neſcientes, quia opus Dei eſt omne, quod naſcitur Diaboli quodcunque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicujus, & ſpeciem, & corporis qualitatem, æmulo colore ſignaſſet, & ſignato jam, conſummatoque ſimulacro manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quaſi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria, & juſta indignatio videretur. Tu te exiſtimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offenſam. Ut enim impudica circa homines & inceſta fucis lenocinantibus non ſis, corruptis, violatiſque, quæ Dei ſunt pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta divini operis, prævaricatio eſt veritatis. Monentis Apoſtoli vox eſt:* Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi, nam & Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque feſta celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis. *Num ſinceritas perſeverat, & veritas, quando quæ ſincera ſunt, polluuntur colorum adulteriis, & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit,* Non potes facere capillum unum album, aut nigrum: *& tu ad vincendam Domini tui vocem vis te eſſe potiorem? Audaci conatu, & ſacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum capillos jam tibi flammeos auſpicaris, & peccas, proh nefas! capite, ideſt, corporis parte meliore, & cum ſcriptum ſit de Domino:* Caput autem ejus, & capilli erant albi velut lana, aut nix, *& tu execraris canitiem, deteſtaris alborem, qui ſit ad Domini caput ſimilis. Non metuis, oro, quæ talis es, ne cum Reſurrectionis dies advenerit, Artifex tuus ne non recognoſcat, & ad ſua præmia, & promiſſa venientem removeat, & excludat? Increpans vigore Cenſoris, & Judicis dicat: Opus meum non eſt, nec imago hæc noſtra eſt, cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos, atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arſura.*

1. Cor. 5. — Apoc. 1. 14.

Legendi in eandem ſententiam *Clemens Alexand.* Lib. 3. *Pædagogi* c. 2. 3. & 11. *S. Greg. Naz.* Grat. de Laudibus *Gorgoniæ* Sororis, *S. Ambr.* Lib. 1. *De Virginibus*, c. 6. ubi nequidem fucorum uſum licitum eſſe fœminis docet, ut maritis placeant. *Hinc illa* (inquit) *naſcuntur incentiva vitiorum, ut quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidant, & de adulterio vultus meditantur adulterium caſtitatis. Quanta hic amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale judicium, prodere ſuum; Prior enim de ſe pronuntiat, quæ cupit mutare, quod nata eſt. Ita dum alii ſtudet placere, prius ſibi ipſa diſplicet. Quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis, tuæ, quam te ipſam, quæ videri times? Si pulchra es, quid abſconderis? Si deformis? cur te formoſam eſſe mentiris, nec tuæ conſcientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit! tu alteri vis placere. Et iraſceris, ſi amet aliam: qui adulterare in te docetur? Mala magiſtra es injuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ paſſa lenonem eſt, ac licet vilis mulier, non alteri tamen, ſed ſibi peccat: tolerabilioraque propemodum in altero crimina ſunt; ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur.*

Fucorum uſus.

Ante *S. Ambr.* eandem conjugatarum mulierum excuſationem velut inanem rejecerat *S. Cypria.* loco ſupra laudato. *Viderint* (inquit) *quid ſibi nuptæ per placendi ſtudium de conjugum ſolatio blandiantur, quos dum in excuſationem ſuam proferunt, ad ſocietatem criminoſæ conſenſionis adſciſcunt.*

Inanis mulierum, quæ fucis utuntur, excuſatio.

Et ante hunc *Tertull.* Lib. 2. *De Cultu Fœminarum*, c. 2. & 4. *Expingamus nos, ut alteri pereant. Ubi eſt ergo,* Diliges proximum tuum ſicut te ipſum? *Nolite veſtra tantum curare, ſed alterius. . . . Cum igitur & noſtra, & aliorum cauſſa verſetur in ſtudio periculoſiſſimi decoris, jam non tantum conficta, & elaboratæ pulchritudinis ſuggeſtum recuſandum a vobis ſciatis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis obliterandum diſſimulationes, & incuria ut perinde oculorum incurſibus moleſtum. . . Sanctæ feminæ ſi naturaliter ſpecioſæ, non adeo ſit occaſio. Certe ſi & fuerit, non adjuvare, ſed etiam impedire debet. Quaſi Gentilibus dicam Gentilis, & communi omnium præcepto alloquens vos, ſolis maritis veſtris placere debetis. In tantum autem placebitis, in quantum aliis placere non curaveritis. . . . Uxor nulla deformis eſt marito ſuo. Satis placuit, cum electa eſt, ſeu moribus, ſeu forma commendata. Ne qua veſtrum putet, ſi temperaverit a compoſitione ſui, odium & averſionem maritorum proſecuturam. Omnis maritus caſtitatis exactor eſt. Formam vero Fidelis non poſtulat, quia non iiſdem bonis, quæ Gentiles bona putant, capimur; infidelis contra, etiam ſuſpectam habet. Cui ergo pulchritudinem tuam nutris? Si Fidelis, non exigit: ſi infidelis, ſimplicem non credit. Quid geſtis aut ſuſpecto, aut non deſideranti placere?*

Hanc Regulam confirmat & *S. Hier.* Ep. 23. ad *Marcellam* de *Bleſillæ* ægrotatione. *Illæ,* inquit, *Chriſtianos oculos ſcandalizent potius, quæ purpuriſſo, & quibuſdam fucis ora, oculoſque depingunt, quarum facies gypſeæ, & nimio candore deformes idola mentiuntur, quibus ſi forte improvidis lacrymarum ſtilla erupit, ſulco defluit: quas nec numerus annorum poteſt docere, quod vetulæ ſint, quæ capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt. Quæ denique ante nepotum gregem trementes virgunculæ componuntur. Erubeſcat Mulier Chriſtiana ſi naturæ cogit decorem, ſi carnis curam facit ad concupiſcentiam, in qua qui ſunt, ſecundum Apoſtolum, Deo placere, non poſſunt.*

Et *S. Paulinus*, Epithalamio in *Julianum*, & Clariſſimam ejus Uxorem:

Abſit, ut idolici videatur filia Templi,
Gentis Apoſtolicæ filia facta domo.
Non fucis mala ficta cutem, neque lumina nigro
Pulvere, nec flavo tincta colore comam.
Purum naturæ decus aſpernata ſuperbo.

Cri-

Fucorum uſus.

Crimine, divinum in ſe ſibi damnat opus.
Fruſtra hæc ſe Mulier jactaverit eſſe pudicam,
Quæ ſe tam variis ornat adulteriis.
Vos autem Juvenes Chriſti, fugite omnia, quorum
In damno pretium eſt, uſus in interitu.
Credite divinis verbis, de cultibus iſtis
Pœnalem cupidis ſurgere materiam.

Idem confirmat *S. Aug.* Ep. 245. alias 73. ad *Poſſidium* data. *Nolo tamen,* inquit, *de ornamentis auri, vel veſtis præproperam habeas in prohibendo ſententiam, niſi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debent, quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant, quæ ſunt Mundi, quomodo placeant, vel viri uxoribus, vel mulieres maritis. Niſi quod capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare Apoſtolus jubet, nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt, qua non dubito etiam ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis permittendæ ſunt fœminæ ornari, ſecundum veniam, non ſecundum imperium. Nam verus ornatus maxime Chriſtianorum, & Chriſtianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem, veſtiſque pompa, ſed mores boni ſunt.* Hic locus refertur, *De Conſecratione*, diſt. 5. Can. *Fucari*.

1. Cor. 7. 15.

Ad hujus Regulæ plenam explicationem addenda eſt *S. Thomæ* Reſponſio 2. 2. qu. 169. art. 2. ad ſecundum *Mulierum fucatio,* inquit, *eſt quædam ſpecies fictionis, quæ non poteſt eſſe ſine peccato. . . Non ſemper tamen talis fucatio eſt cum peccato mortali, ſed ſolum quando fit propter laſciviam, vel in Dei contemptum, in quibus caſibus loquitur S. Cyprianus: Sciendum tamen, quod aliud eſt fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliquo caſu provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujuſmodi. Hoc enim eſt licitum, quia ſecundum* Apoſtolum 1. ad Cor. 12. *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.*

REGULA X.

Scandali reæ ſunt Mulieres, alienos capillos ad ornandum caput adhibentes.

1. Tim. 2. — 1. Pet. 1.

Si enim mulieres velato capite procedere, & orare jubet Apoſtolus, *Non in tortis crinibus*; Si tales eſſe vult Apoſtolorum Princeps, *Quarum non ſit extrinſecus capillatura:* alienis certe capillis luxuriantia, & nundinatitia Chriſtianarum Fœminarum capita multo magis damnat Chriſtiana Diſciplina.

Enormia, & immodeſta muliebrium capitum ornamenta.

Hanc Regulam confirmant Patres, *Tertull.* in primis Lib. 2. *De Cultu Fœminarum*, cap. 7. *Affigitis præterea,* inquit, *neſcio quas enormitates capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicum retro ſuggeſtum. Mirum, quod non contra Dominica Præcepta contenditis. Ad menſuram neminem ſibi adjicere poſſe pronuntiatum eſt. Vos vero adjicitis ad pondus colluras quaſdam, vel ſcutorum umbilicos cervicibus adſtruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti: ne exuvias alieni capitis, forſan immundi, forſan nocentis, & gehennæ deſtinati, ſancto & Chriſtiano capiti ſupponatis, immo omnem hanc ornatus ſervitutem a libero capite depellite. Fruſtra laboratis ornatæ videri, fruſtra peritiſſimos quoſque ſtructores capillaturæ adhibetis. Deus vos velari jubet. Credo, ne quarundam capita videantur. Atque utinam miſerrimus ego, in illa die Chriſtianæ Exaltationis, vel infra calcanea veſtra caput elevem: videbo an cum ceruſſa, & purpuriſſo, & croco, & illo ambitu capitis reſurgatis: an taliter expictas Angeli in nubila ſublevent obviam Chriſto in aera. Si nunc bona & Dei ſunt, tunc quoque occurrent reſurgentibus corporibus, & ſua loca agnoſcent. Sed non poteſt reſurgere niſi caro, & ſpiritus ſolus, ac purus. Damnata ſunt igitur, quæ in carne, & ſpiritu non reſurgunt, quia Dei non ſunt. Damnati hodie abſtinete. Hodie vos Deus tales videat, quales tunc videbit.*

De Scandalo.

Eandem Regulam confirmat *S. Clemens Alexandr.* Lib. 3. Pædagogi: *Alienorum,* inquit, *capillorum appoſitiones ſunt omnino rejiciendæ, & externas comas capiti adhibere eſt maxime impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. Cui enim manum imponit Presbyter? Cui autem benedicet? Non mulieri, quæ eſt ornata, ſed alienis capillis, & per ipſos alii capiti. Si autem mulieris quidem caput eſt vir, viri autem caput eſt Chriſtus, quomodo non eſt impium, eas in duplex peccatum incidere? Per immodicam enim comam decipiunt: Dominum autem, quantum in ipſis eſt, dedecore afficiunt, dum meretricie ornantur in fraudem veritatis, & caput, quod vere pulchrum eſt, ut maledictum ſit, efficiunt.*

Idem confirmat *S. Gregorius Nazianz.* Carmine in mulierum Ornatum, *S. Hier.* Ep. ad *Demetriadem*, aliique Patres, & *Ivo* Carnotenſis Epiſcopus Serm. 24. *De adulterino habitu virorum vel mulierum.*

S. Bernardinus Senenſis, Serm. 47. habito Feria 6. poſt Dominicam in Paſſione, ait, *Alexandrum Halenſem* peccati mortalis reas pronuntiare mulieres, quæ fucis, aut adulterinis crinibus ad ornatum utuntur. Quærit *Alexander De Hales*, inquit, *utrum fucata, aut adulterinos crines, ſeu vivorum, ſeu mortuorum, ad ornatum ſibi uſurpantes, debeant accedere ad Sacram Communionem. Et reſpondet, quod tales mortaliter peccant, & indignas ſe efficiunt Sacra Communione. Et hoc maxime propter tria, quæ inde ſequuntur, primo offenſio Dei, ſecundo offenſio proximi, tertio offenſio ſui.* Offenſio Dei, *quia non ſolum ſinceritas Summi Opificis impugnatur, verum etiam verbum Dei contemnitur, & infirmatur.* Offenſio proximi, *ſcilicet fictio, & mendacium inducens errorem ex certa ſcientia.* Offenſio ſui, *quia injuriatur propria natura. . . Propterea dicendum eſt, quod ſive ſint ſoluta, ſive conjugatæ, mortaliter peccant hujuſmodi abutentes abuſionibus. Non tamen nego, quin permiſſum ſit conjugatis ornare ſe honeſto ornatu veſtium propter Maritos, dum tamen nihil falſitatis, aut adulterinæ picturæ, aut capillaturæ uſurpent. Sed dices,* Hoc faciunt, *ſcilicet, quæ ſe fucant, & capillis talibus abutuntur, ut placeant maritis ſuis. Dicendum, quod voluntas hæc placendi maritis ſuis, ſeu ipſum placitum, non excuſat eas a peccato mortali, quia modus, per quem placent, ſeu placere intendunt, nec Deo placet, nec maritis.* Aliorum ſubinde refert opinionem, dicentium, quod ſi conjugata non ut laudetur de pulchritudine, vel provocet alios ad ſui concupiſcentiam, aut alia corrupta intentione, ſed tantum ne maritus ejus propter ejus deformitatem ſcandalizatus exhorrens eam, adulterium incurrat, aut tincturis aliquibus uteretur, aut capillis alienis, non mortaliter peccaret. Et hi dicunt, quod *S. Cyprianus*, & alii hanc abuſionem deteſtantes intelligunt de illis, quæ hujuſmodi faciunt intentione corrupta. *Iſta autem definitio,* inquit, *mihi videtur melior, & certior.* Hæc *S. Bernardini Senenſis*, *Sylveſtri*, *Cajetani* Cardinalis, & aliorum paullo indulgentior opinio, veniale duntaxat peccatum agnoſcentium in uſu fuci & capillorum alienorum, cum ex ſola vanitate, non ex impudico affectu adhibentur, & alioqui nullum imminere videtur gravis ſcandali probabile periculum, probabilis eſt, & tuta, eamque Conſcientiarum Moderatores ſequi poſſunt, cum ſit & *S. Thomæ*, 2. 2. qu. 169. art. 2. tum in corpore Articuli, cum in reſponſione ad 2. Objectionem. Sed Concionatores, & Confeſſarii omni ſtudio zeloque Mulierum vanitatem reprehendere debent, & verbi Dei cauterio curare pravæ conſuetudinis malum. *S. Bernardinus Senenſis* definit ibidem caput ornatum Mulieris vanæ. *Si quæratur,* inquit, *quid eſt caput ornatum Mulieris vanæ? Reſponderi poteſt, quod Tumor ſuperbiæ, Babylonica turris, vexillum Diaboli, deriſio Chriſti, luxuriæ ſignum, duplicitas cordis, ſanctificatio criminis, lucifuga Animarum, laquei Dæmonum, diabolicum monſtrum, ſedes Satanæ, & remuneratio paſſionum.* Quæ omnia ſingillatim explicat.

In Summ. verbo Ornatus. — De Scandalo.

REGULA XI.

Scandali rei ſunt & viri in corporis cultu, & capillaturæ cura modum excedentis.

Siquidem (inquit *Tertull.* Lib. 2. *De Cultu Fœminarum*, c. 8.) *& viris propter fœminas, & fœminis propter viros vitio naturæ ingenita eſt placendi voluntas, propriaſque præſtigias formæ & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acrius cædere, intervellere, circumradere, capillum diſponere, & decolorare canitiem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtringere, cetera pulveris cujuſdam aſpritudine lævigare, tum ſpeculum omni occaſione conſulere, anxie inſpicere, cum tamen cognito Deo, adempta placendi voluntate per luxuriæ occaſionem, omnia illa ut otioſa, aut hoſtilia recuſantur. Nam ubi Deus, ubi pudicitia, ibi gravitas adjutrix, & ſocia ejus. Quo ergo pacto pudicitiam ſine inſtrumento ſuo, ideſt, ſine gravitate tractabimus? Quomodo autem gravitatem adminiſtrandæ pudicitiæ adhibemus, niſi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione ſeveritas circumferatur? Quamobrem erga veſtitum quoque, & reliquæ compoſitionis veſtræ impedimenta, perinde vobis curanda eſt amputatio, & decuſſio redundantioris nitoris. Nam quid prodeſt, faciem quidem frugi, & expeditam, & ſimplicitatem condignam divinæ Diſciplinæ exhibere, cetera vero corporis lancinoſis pomparum, & deliciarum ineptiis occupare?*

Hanc Regulam confirmat *S. Hieron.* in c. 1. *Sophoniæ* Prophetæ. *Neque vero* (inquit) *æſtimandum eſt, eos ſolos periiſſe, qui argento erecti ſunt; ſed juxta hanc definitionem peribit & ille, qui in generis nobilitate ſe jactat; qui gloriatur in dignitatibus, peribit; qui inflatur, peribit; qui in fortitudine corporis gloriatur, peribit; peribit, qui in fœmineo languore mollitus comam nutrit, vellit pilos, cutem polit, & ad ſpeculum comitur, quæ proprie paſſio, & inſania fœminarum eſt.*

Id denique confimant Acta *S. Tiburtii* Martyris apud *Baronium*, ad annum 286. Sanctus enim Martyr *Torquatum* teſtem Apoſtatam recuſans ait: *Credíſne hunc eſſe Chriſtianum, qui in ſui lenocinio moriendo, capitis fimbrias admittit, qui tonſorem diligit, qui ſcapulis molliter geſtit, qui fluxum greſſum improbo nixu diſtendit, qui neglectis viris fœminas intuetur? Nunquam tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſervos ſuos.*

REGULA XII.

Lethalis ſcandali rei ſunt, qui alterius ſexus veſte abſque neceſſitate utuntur. Non levis etiam ſcandali rei ſunt, qui larvati incedunt.

De Scandalo. Prima pars iſtius Regulæ nititur hoc Dei Præcepto, Deut. 22. quod non cæremoniale tantum, ſed etiam morale eſt: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea: abominabilis enim apud Deum qui facit hæc.* Quem locum expendens *S. Ambroſ.* Ep. 69. ad *Irenæum* data, ait: *Incongruum eſt, quod ipſa etiam abhorret natura. Cur enim, homo, non vis videri eſſe, quod natus es? Cur alienam tibi aſſumis ſpeciem? Cur mentiris fœminam; vel tu fœmina virum? Suis unumquemque ſexum induit natura indumentis .... Mendacium & in verbo turpe eſt, nedum in habitu. Denique in Templis, ubi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illuc aſſumere viros muliebrem veſtem, geſtumque fœmineum, ſacrilegium putatur.* Et infra: *Merito illic non ſervatur caſtimonia, ubi non tenetur ſexus diſtinctio, in quo evidentia naturæ magiſteria ſunt.*

Idem confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 169. art. 2. in Reſponſione ad tertium. *Cultus*, inquit, *exterior debet competere conditioni perſonæ ſecundum communem conſuetudinem: & ideo de ſe vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo; & præcipue, quia hoc poteſt eſſe cauſſa laſciviæ, & ſpecialiter prohibetur in Lege, quia Gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ ſuperſtitionem. Poteſt tamen quandoque hoc fieri ſine peccato, propter aliquam neceſſitatem, vel cauſſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel pro defectu alterius veſtimenti, vel propter aliquid hujuſmodi.* Sic *S. Antoninam* Virginem *Alexander*, ac *Theodoram* item Virginem *Didimus*, commutatis veſtibus, e lupanari liberavit, ut in Martyrologio legimus ad diem 22. Aprilis, & ad 3. Maii. Sic *S. Ambr.* Lib. *De Virginibus*, cap. 4. ſimile factum narrat Antiochenæ cujuſdam Virginis, quam & ignotus Miles ad eam liberandam in lupanar ingreſſus, ſic alloquitur: *Ne, quæſo, paveas, ſoror. Frater huc veni ſalvare animam, non perdere. Serva me, ut ipſa ſerveris. Quaſi adulter ingreſſus, ſi vis; Martyr egrediar. Veſtimenta mutemus, conveniunt mihi tua, & mea tibi: ſed utraque Chriſto. Tua veſtis me verum Militem faciet, mea te Virginem. Sume habitum, qui abſcondat fœminam: trade, qui conſecret Martyrem. Induere chlamydem, quæ occultet membra Virginis, ſervetque pudorem. Sume pileum, quod tegat crines, abſcondat ora*, &c. *Quid plura? Mutato habitu evolat puella de laqueo... Damnatus eſt pro Virgine, qui pro Virgine comprehenſus eſt. Ita de lupanari non ſolum Virgo, ſed etiam Martyres exierunt. Fertur puella ad locum ſupplicii cucurriſſe, certaſſe ambos de nece... Duo contenderunt, & ambo vicerunt: nec diviſa eſt corona, ſed addita.* Sic *Eugeniam*, *Euphroſinam*, *Apollinarem* refert Metaphraſtes mutata veſte ſexum diſſimulaſſe, ut apud viros Monaſticam Vitam profiterentur, cum in illarum patria Monaſteria fœminarum nulla eſſent. (Apud *Surium* ad diem 25. Decembris, & ad 1. & 5. Januarii.) Sic ipſe rurſus *Theodoram*, Jacobus autem Diaconus Helipoleos *Pelagiam* ad expiandum lapſum ſuum idem feciſſe, ad diem 11. Septembris, & 8. Octobris narrant. Sic *Joanna* Puella Aurelianenſis, ut inſtinctu divino auxilium *Carolo VII.* Regi Chriſtianiſſimo ad hæreditarium Regnum recuperandum ferret, militarem veſtem induit: quæ ab hoſtium calumniis eam ob cauſſam irrogatis plene per Commiſſarios a *Caliſto III.* Pontifice Max. delegatos anno 1456. vindicata eſt. Quæ tamen facta non ſunt in conſequentiam, & in exemplum trahenda.

De Scandalo. Extra caſum neceſſitatis veſte alterius ſexus uti, lethale peccatum. Extra caſus neceſſitatis urgentis diſſimulare ſexum, & veſte alterius ſexus uti, lethale peccatum eſt. Unde *S. Aug.* Lib. 2. *Soliloquiorum*, cap. 16. *Credo*, inquit, *jure infames deteſtabileſque haberi, qui muliebri habitu ſe oſtentant, quos neſcio utrum falſas mulieres, an falſos viros melius vocem. Veros tamen hiſtriones, veroſque infames ſine dubitatione poſſumus vocare, aut ſi latent, nec infame quidquam niſi a turpi fama nominatur, vero nequam non ſine veritate dicimus.* Et paullo poſt: *Magna quæſtio eſt, utrum patriæ liberandæ cauſſa muliebri tunica indutus, debeat hoſtem decipere, hoc ipſo quo mulier falſa ſit, fortaſſe verior vir futurus. Et utrum Sapiens, qui aliquo modo certum habeat, neceſſariam fore vitam ſuam rebus humanis, malit emori frigore, quam fœmineis veſtibus, ſi aliud non ſit, amiciri. Sed de hoc alias videbimus. Profecto enim cernis quanta inquiſitionis indigeat, quatenus iſta progredi debeant, ne in quaſdam inexcuſabiles turpitudines decidatur.*

Ante S. Aug. ejus conterraneus *Tertull.* Lib. *De Pallio*, ſententioſe pro more ait: *Habitum transferre ita demum culpæ prope eſt, ſi non conſuetudo, ſed natura mutetur. Sat refert inter honorem temporis, & Religionem. Det conſuetudo fidem temporis, natura Dei.*

Conc. Gangrenſe Canone 13. damnat Anathemate mulieres, quæ continentiæ, & Religionis cauſſa virilem habitum uſurparent. *Si qua mulier*, inquit, *propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro ſolito muliebri amictu virilem ſumit, Anathema ſit.* In Jus Canonicum relatus eſt Canon *Si qua mulier*, diſt. 30. Multo magis damnandi viri, qui muliebrem amictum ſumunt. Ut enim *S. Ambroſius* Ep. 69. ad *Irenæum* ait: *Græco more influxit, ut fœminæ virilibus quaſi ſuccinctioribus tunicis utantur. Eſto tamen, ut illæ imitari videantur melioris ſexus naturam, quid viri inferioris ſexus mentiri ſpeciem volunt?*

Conc. Trullanum Can. 62. ſtatuit *Ut nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, vel mulier veſte viro conveniente. Sed neque comicas, vel ſatiricas, vel tragicas perſonas induat... Qui deinceps aliquid eorum, quæ ſcripta ſunt, aggredientur, ſi ſint quidem Clerici, deponi jubemus, ſi vero Laici ſegregari.*

Larvarum uſus damnatus. Regulæ pars altera, quæ larvarum uſum ſpectat, adſtruitur *Tertulliani* verbis, Lib. *De Spectaculis*, c. 23. *Jam vero*, inquit, *ipſum opus perſonarum, quæro an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis ſuæ? Non amat falſum Auctor Veritatis, adulterium eſt apud illum omne, quod fingitur. Ceterum cum in Lege præſcribit: Maledictum eſſe, qui muliebribus veſtietur, quid de pantomimo judicabit, qui etiam mulieribus curatur?* Ideſt, voce, geſtu, inceſſu accuratiſſime effeminatur.

Item *S. Joannis Chryſ.* Homilia 38. in Matthæum: *Quis eſt*, inquit, *ille theatralium hominum adeo magnus ſonitus? Quis tantus tumultus? Qui diabolici clamores? Quis veſtitus ſatanicus? Alius cum adoleſcens ſit, comam pone reductam habet, & naturam aſpectu, veſtitu, inceſſu, ceteriſque hujuſmodi effeminando, ad teneriuſculæ imaginem puellæ deducere contendit. Alius e contra cum ſit ſenex, novacula pilos, & pudorem omnem abraſus, cinctus aſſiſtens, ad dicendum, ad faciendum omnia paratus eſt.* De Scandalo.

Eandem Regulam confirmat Auctor Sermonis in Auguſtiniana Appendice 130. *Dæmonum eſt*, inquit, *ſuave ſacrificium, cum aut dicitur a nobis aliquid, aut fit, quo honeſtas, quæ eſt amica juſtitiæ, improbis actibus violata diſcedat. Quid enim eſt tam demens, quam virilem ſexum in formam mulieris turpi habitu commutare? Quid tam demens, quam deformare faciem, & vultus induere, quos ipſi etiam Dæmones expaveſcunt? Quid tam demens, quam incompoſitis motibus, & impudicis carminibus vitiorum laudes inverecunda delectatione cantare? Indui ferino habitu, & capræ, aut cervo ſimilem fieri, ut homo ad imaginem Dei, & ſimilitudinem factus ſacrificium Dæmonum fiat? Per hæc ille malorum Artifex ſe intromittit, ut captis paullatim per ludorum ſimilitudinem mentibus dominetur.*

Calculum ſuum addit *S. Petrus Chryſol.* Serm. 155. ubi in illos invehitur, qui larvas idolorum joci cauſſa aſſumebant. *Quis*, inquit, *ſatis lugeat eos, qui ſimulacra faciunt ſemetipſos? Nonne iſti amiſerunt imaginem Dei, ſimilitudinem perdiderunt Chriſti, exuti ſunt indumentum, qui ſe ſimulacrorum formis ſacrilegis formaverunt? Sed dicet aliquis: Non ſunt hæc ſacrilegiorum ſtudia, vota ſunt hæc jocorum: & hoc eſſe novitatis lætitiam, non vetuſtatis errorem: eſſe hoc anni principium, non Gentilitatis offenſam. Erras, homo, non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina. Quis de impietate ludit, de ſacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit riſum? Satis ſe decipit, qui ſic ſentit. Tyrannus eſt, tyranni habitum qui præſumit. Imaginem Dei portare noluit, qui idoli voluerit portare perſonam. Qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto. Nemo cum ſerpente ſecurus ludit; nemo cum Diabolo jocatur impune. Si quæ ſunt ergo viſcera pietatis in nobis, ſi quæ eſt in nobis contemplatio humanitatis, ſi qua nos habet fraternæ ſalutis affectio, abſtrahamus eos, qui ſic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, feſtini ſunt in gehennam. Abſtrahat ergo pater filium, ſervum dominus, parens parentem, civem civis, homo hominem, Chriſtianos omnes, qui ſe beſtiis compararunt, exæquarunt jumentis, aptaverunt pecudibus, Dæmonibus conformaverunt. Et ille, qui liberat, invenit præmium: qui negligit, acquirit offenſam.*

Quanquam vero Clericis præcipue larvas aſſumere Canones prohibent, ſcilicet Synodus Lingonenſis anno milleſimo quadringenteſimo quarto, Tit. *De Ludis prohibitis* Concil. Narbonenſe anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo Canone 19. Mediolanenſe primum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, Conſt. pag. 2. Tit. 25. Burdigalenſe anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, Tit. 21. Bituricenſe anno ſequenti, Tit. 2. Canone 6. Aquenſe anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto, Tit. *De Vita, & Honeſtate Clericorum*; Narbonenſe anno milleſimo ſexcenteſimo nono, Canone 41. & Synodi pleræque Diœceſanæ: id tamen omnibus, qui Chriſtiano Nomine gloriantur, illicitum eſſe conſtat ex ſupra dictis Patrum teſtimoniis; conſtat ex vitiis, quæ ſub larvarum tegmine licentius committuntur: de quibus legi poſſunt *Joannes Ludovicus Vives*, Lib. 1. *De Inſtitutione Chriſtianæ Fœminæ*, Tit. *De Saltationibus*, & *Polidorus Virgilius* Lib. 5. *De Inventione Rerum*, cap. 2. ubi apud Anglos capitale fuiſſe teſtatur, ſi quis perſonas indueret, necnon *Petrus Gregorius Toloſanus* celebris Juriſconſultus Lib. 39. Syntagmatis Juris Univerſalis, cap. 11. N. 1. & 2. ubi & multis Toloſanæ Curiæ Senatus-conſultis larvarum venditionem, & uſum, etiam Bacchanalium diebus prohibitum fuiſſe refert. De Scandalo.

Sed *S. Caroli Borromæi* de larvarum uſu judicium hic prætermittere nefas. Sic enim de his loquitur in *Memoriali Libro* P. 2. cap. 6. *Maledicti*, inquit, *& execrandi larvarum uſus: id præter alia impietatis, & depravationis habentes, quod antiqua noſtræ ruinæ, cujus Satanas ſerpentis formam induens, ſic larvatus auctor fuit, quaſi memoria feſtiva agatur. Deteſtandi larvarum uſus, quarum privilegio fas eſt cuilibet obſcœna, & impudica verba profari, geſtus, & actus omnimode impuros edere: impiæ larvæ, honeſtatis oppugnatrices, gravitatis inimicæ, ruinæ piæ hujus vigilantiæ, cui foris, & intus Chriſtianus tenetur indulgere.*

REGULA XIII.

Peccant, quicunque in exteriori ornatu morem Patriæ, modumque conditioni, & ſtatui ſuo convenientem excedunt.

Peccata in exteriori cultu, & ornatu. Patrum teſtimoniis hæc Regula firmatur, ſcilicet *Tertulliani* Lib. 2. *De cultu Fœminarum*, cap. 9. *Si quas divitiarum*, inquit, *vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit ita pompaticas progredi, ut ſapientiam non videantur conſecutæ, temperate malum hujuſmodi curate, ne totis habenis licentiam uſurpetis prætextu neceſſitatis.... Non enim utemur noſtris. Quis autem prohibet uti? Secundum Apoſtolum tamen, qui nos uti monet Mundo iſto, quaſi non abutamur.* Abutuntur autem facultatibus ſuis, quæ pretioſioribus, & elegantioribus veſtibus utuntur, quam ferat earum conditio, vel ſtatus: aut nimiis ſumptibus in pompam veſtium, mundumque muliebrem factis dant cauſſam maritis fraudandi creditores, novum æs alienum contrahendi, cui ſolvendo etiam per tempus pares eſſe nequeant; vel reſecandi eleemoſynas, quas alioqui erogare tenentur. De qua immoderatione *Tertull.* Lib. 1. *De Cultu Fœminarum*. Cap. 8. *De breviſſimis*, inquit, *loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus, & inſulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum uſurarum ſubſtantiam uno, & muliebri corpuſculo bajulare.*

S. Cypriani, Lib. *De Diſciplina, & Habitu Virginum* ſcribentis; *Locupletem te dicis, & divitem; ſed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum, atque ornatum tuum juſto fine moderandum, ſua voce præſcribit.... Locupletem te dicis, & divitem; & utendum putas iis, quæ poſſidere te Deus voluit. Utere, ſed ad res ſalutares utere; ſed ad bonas artes utere, ſed ad illa, quæ Deus præcipit, quæ Dominus oſtendit: Divitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes. Patrimonium tuum Deo fœnera. Chriſtum ciba, ut virginitatis perferre gloriam liceat, ut ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora... Nam delinquis & hoc ipſo in Deum, ſi ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non ſalubriter perfruaris. Nam & vocem Deus homini dedit, & tamen non ſunt idcirco amatoria cantanda, nec turpia: & ferrum eſſe ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia ſunt idcirco facienda; aut quia thura, & merum, & ignem Deus inſtituit, ſacrificandum eſt inde idolis: vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas, & hoſtias immolare debebis. Alioqui tentatio eſt patrimonium grande, niſi ad uſus bonos ſenſus operetur; ut patrimonio ſuo unuſquiſque locupletior, magis redimere debeat, quam augere delicta.*

1. Tim. 2. *S. Auguſtini* Ep. 262. alias 199. ad *Ecdiciam* quæ vidualem habitum inconſulto marito induerat. *De habitu* (inquit) *atque veſtitu nihil tibi præter ejus arbitrium mutandum, vel uſurpandum fuit, unde nihil divinitus legimus imperatum. Scriptum eſt quidem. Mulieres eſſe debere in habitu ornato, aurique circumpoſitio, & intortio crinium, & cetera hujuſmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi ſolent, merito reprehenſa ſunt. Sed eſt quidam pro modulo perſonæ habitus matronalis a viduali veſte diſtinctus, qui poteſt fidelibus conjugatis ſalva Religionis obſervantia convenire.*

Eandem Regulam confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 169. art. 1. in Reſponſione ad primum: *Ad naturalem*, inquit, *rationem pertinet, ut exteriorem cultum moderetur. At ſecundum hoc natiſumus hanc virtutem ſuſcipere, quæ exteriorem cultum moderatur.* Et art. 2. in Reſponſione ad tertium: *Cultus exterior* (inquit) *debet competere conditioni perſonæ ſecundum communem conſuetudinem.*

Et *S. Thomæ* coævus *Alexander Halenſis* 2. P. q. c. 2. Membro 1. *Licet* (inquit) *ſecundum nobilitatem perſonæ, ſecundum conſuetudinem terræ, ſecundum dignitatem officii ornare ſe veſtibus pretioſis: ita tamen quod abſit libido in voluntate, & ſcandalum in exteriori opere.*

REGULA XIV.

Scandali rei ſunt, qui novas illiciti ornatus, ac veſtimentorum formas excogitant, adinveniunt, & conficiunt; & lethaliter quidem peccant, ſi modus veſtium, ornatuſque pretioſioris, vel elegantioris, inverecundus ſit, aut impudicus: Venialiter vero, ſi vanitatem duntaxat, & curioſitatem alat, pretii, aut elegantiæ immoderatione.

Peccata in exteriori cultu, & ornatu. Hæc enim adinventio novitatum in cultu, & habitu muliebri, aut virili multis, gravibuſque deformitatibus ſcatet, *Deum & conſuetudo violatur, & occaſio damni datur, & inanis gloria, ac ſtultitia non ſine ſcandalo committitur:* (inquit Cardin. *Cajetanus* Commentario in Secundam Secundæ, ad Art. 2. q. 169.) Et ſi modus, formaque ornatus, aut veſtium diſſoluta ſit, & impudica, rei ſunt lethalis peccati, inventores, & auctores, ſive inventrices, & promotrices talis modi, ac formæ, nec non artifices utriuſque ſexus, qui veſtes illas, ſeu ornamenta conficiunt, ſicut & qui utuntur. In his enim, quæ abſque mortali peccato fieri non poſſunt, vel ut plurimum fiunt, aut incitamenta ſunt, vel occaſiones ad peccatum mortale, *Digni ſunt morte non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus*; (inquit Apoſt. ad Rom. c. 1.) Inſignis præterea, & enormis abuſus artium eſt, quas hominum generi Deus optimus maximus dedit ad neceſſitatem, & utilitatem, non ad ambitionem, & vanam curioſitatem alendam, multo minus ad libidinem, & impudicitiam excitandam, & fovendam. Unde *Tertull.* Lib. *De Pallio*, ait: *Tanta igitur paratarum materiarum ingenia quoque veſtificinæ proſecuta, primum tegendo homini, quæ neceſſitas præceſſit, dehinc & ornando, immo & inflando, quæ ambitio ſucceſſit, varias indumentorum formas promulgavere.* Et *S. Joann. Chryſ.* Homil. 1. in Matth. *Neceſſitate*, inquit, *ſuperata ad delicatiſſimas, atque ſuperfluas artes pervenerunt, & veræ arti vanam admiſcuerunt curioſitatem, quod ædificatoria quoque ars paſſa eſt. Sed quemadmodum ipſam, quouſque domus, non theatra conſtituit, & in domibus neceſſaria, non ſupervacanea componit, artem appello, textoris artificium, quouſque pannos veſtitui neceſſarios texit, nec araneas ita imitatur, ut multa ridicula inſerat, artem nominare ſoleo. Similiter calceamentorum ſutores, donec neceſſarios faciunt calceos, artificis vocabulo dono: cum vero virorum calceos mulieribus adaptant, & e contra, tunc quia utrumque ſexum enervant, ſuperfluam, immo maleficam artem appellamus.*

Artes, & commercia, quæ ſcandali præbent occaſionem, exerceri ſine gravi peccato non poſſunt. Homil. 50. in Matth. Hanc Regulam confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 169. art. 2. in Reſponſionibus ad quartam objectionem. *Si qua ars eſt*, inquit, *ad facienda aliqua opera, quibus homines uti non poſſumus abſque peccato, per conſequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occaſionem peccandi: puta, ſi quis fabricaret idola, vel aliqua, ad cultum idololatriæ pertinentia. Si qua vero ars ſit, cujus operibus poſſunt homines bene, & male uti (ſicut gladii, ſagittæ, & alia hujuſmodi) uſus talium artium non eſt peccatum, & hæ ſolæ artes ſunt dicendæ. Unde Chryſ. dicit:* Eas ſolas artes oportet vocare, quæ neceſſariorum, & eorum, quæ continent vitam noſtram, ſunt tributivæ, & conſtructivæ: *Si tamen operibus alicujus artis, ut pluries aliqui male utantur, quamvis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium Principis a civitate extirpandæ, ſecundum documenta Platonis. Quia ergo mulieres licite ſe poſſunt ornare, vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus, vel etiam aliquid ſuperaddere, ut placeant viris: conſequens eſt, quod artifices talium ornamentorum non peccant in uſu talis artis niſi forte inveniendo aliqua ſuperflua, & curioſa.* Lib. 1. De Republ.

Quid ſentiendum de factoribus, & venditoribus taxillorum, & cartarum. Eandem confirmat *S. Antonin.* P. 2. Tit. 2. c. 23. §. 13. *Videtur dicendum*, inquit, *de factoribus, vel venditoribus alearum, taxillorum, chartarum: quod quia, ut in pluribus homines utuntur his ad peccatum mortale, propter avaritiam, ideo non videtur tales poſſe excuſari a mortali; unde nec abſolvendi, niſi talia dimittant.* Idque probat ex Can. *Falſas*, Can. *Fratres*, & Can. *Negotium*, diſt. 5. *De Pœnitentia*. De larvorum factoribus, & venditoribus idem dixeris. *Sed de factoribus, & venditoribus fucorum* (inquit S. Antonin.) *& aliorum ornamentorum, videtur dicendum, quod vendendo his, de quibus ſcit, vel credit, quod utantur ad provocandum ad laſciviam, eſt mortale, quia cooperantur tali in crimine.* 2. q. 1. c. Notum. *Quod tamen non debet de facili credere, niſi appareant ſigna manifeſta, ut in meretricibus. Nemo enim eſt judicandus immemor ſalutis æternæ.* De Conſec. diſt. 1. c. jubemus. *Ubi autem hoc ignorat, vel non conſiderat, ſed ſolum de vanitate: cum talibus poſſint mulieres uti cum peccato, & ſine peccato, cum mortali, & cum veniali, ſecundum intentionem earum, & quantitatem exceſſus: & quod intentio earum, ut in pluribus, ſit laſcivia, vel mortalis ſuperbia, aut inanis gloria, durum eſt dicere, & temerarium judicare. Quando etiam ſit tantus exceſſus, quod faciat mortale, difficile eſt diſcernere: unde non videtur, quod in hujuſmodi peccent mortaliter. Minus enim eſt iſta facere, vel vendere, quam portare: ſed iſta portare, vel uti, ut fucis, quod videtur præcipue inter ornamenta provocantia ad laſciviam, de ſe non eſt mortale, ſecundum B. Thomam 2. 2. qu. 69. Perſuadendi ſunt igitur tales ad dimittendum opera, & venditionem talium vanitatum, non tamen cogendi per negationem Abſolutionis. Dubia enim in meliorem partem ſunt interpretanda.* Ext. *De Regulis Juris*. Cap. Eſtote.

Quid de factoribus, & venditoribus fucorum.

Quid de his, qui diſſoluti ornatus formas & modos adinveniunt, & introducunt. Quod vero ſuperflui, curioſique, & multo minus diſſoluti, & impudici ornatus formas, & modos adinvenire, & introducere non liceat; nec minoris peccati rei ſint horum auctores, & artifices, quam qui utuntur; nec excuſari poſſint lucri ceſſantis ratione, probat a ſimile egregius Tertull. locus Lib. *De Idololatria*, cap. 11. *In nullo*, inquit, *neceſſarius eſſe debeo alii, cum facit, quod mihi non licet. Ex hoc, quod vetor facere, intelligere debeo curandum mihi eſſe,*

ne fiat per me. Nam quod mihi de ſtupro interdictum ſit; aliis ad eam rem nihil aut operæ, aut conſcientiæ exhibeo. Nam quod ipſam carnem meam a lupanaribus ſegregavi, agnoſco me, neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius cauſſa exercere poſſe. Sic & homicidii interdictio oſtendit mihi laniſtam quoque ab Eccleſia arceri: nec per ſe non faciet, quod faciendum aliis ſubminiſtrat. Ecce magis proximum præjudicium. Si publicarum victimarum redemptor ad finem accedat, permittes ei in eo negotio permanere? Aut ſi jam fidelis agere ſuſceperit, retinendum in Eccleſia putabis? Non opinor. Niſi quis & de thurario diſſimulabit. Scilicet ad alios pervenit procuratio ſanguinis, ad alios odorum. Si antequam idola in ſæculo eſſent: his mercibus adhuc informis idololatria tranſigebatur, ſi & nunc fere ſine idolo opus idololatriæ incendiis odiorum perpetratur, ecquid majoris operæ, & erga Dæmonia thurarius? nam facilius ſine idolo idololatria, quam ſine thurarii merce... Nulla igitur ars, nulla profeſſio, nulla negotiatio, quæ quid inſtruendis, aut formandis idolis adminiſtrat, carere poterit titulo idololatriæ. A ſimili dicere poſſumus. Nulla ars, nulla profeſſio, nulla negotiatio, quæ quid excitandæ, aut fovendæ diſſolutioni, impudicitiæ, aut ambitioni adminiſtrat, carere poterit titulo diſſolutionis, impudicitiæ, aut ambitionis: immo nec idololatriæ quadam veluti labe carere poterunt, qui ſuperflui, vani, ſupra modum curioſi, exquiſiti, pretioſi, vel diſſoluti, & impudici ornatus, mundique muliebris novas formas, novoſque modos adinveniunt, introducunt, operantur: cum Mulieribus velut idolis quibuſdam inſtruendis, & ornandis miniſterium,

Pſal. 143. & famulatum præſtent: de quibus dictum eſt, *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi*. Pergit Tertullianus: *Male nobis de neceſſitatibus humanæ exhibitionis ſupplaudimus, ſi poſt fidem obſignatam dicimus, Non habeo, quo vivam... Habes dicta Domini: & exempla adimentia tibi omnem cauſſationem. Quid enim dicis? Egebo. Sed felices Dominus egenos appellat. Victum non habebo? Sed nolite, inquit, cogitare de victu. Et veſtitus habemus exemplum; lilia. Subſtantia mihi opus erat? Atqui omnia vendenda ſunt, & egentibus dividenda. Sed filiis, & poſteritati providendum: Nemo aratro manum imponens, & retro ſpectans, aptus eſt operi. Sed conditionalis eram; Nemo duobus dominis ſervire poteſt. Si vis Domini diſcipulus eſſe, Crucem tuam tollas, & Dominum ſequaris neceſſe eſt, ideſt, anguſtias, & cruciatus tuos, vel corpus ſolum, quod in modum crucis eſt. Parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi erunt. De artibus, & negotiationibus, & de profeſſionibus etiam liberorum, & parentum cauſſa dubitas? Nam tunc demonſtratum eſt nobis & pignora, & artificia, & negotia propter Dominum derelinquenda, cum Jacobus, & Joannes vocati a Domino, & patrem, navemque derelinquunt; cum Matthæus de telonio ſuſcitatur, cum etiam ſepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus elegit; Non habeo, dixit, quo vivam. Fides famem non timet. Scit etiam famem non minus ſibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non reſpicere vitam, quanto magis victum? Quotuſquiſque hæc adimplevit? Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia.*

REGULA XV.

Lethalis ſcandali rei ſunt Hiſtriones, & Mimi, qui verbis, & factis illicitis ad ludum utuntur, aut locis, & temporibus indebitis ludunt. Verba autem illicita cenſeri debent, quæcumque amori profano, ceteriſque pravis animi cupiditatibus excitandis, aut fovendis inſerviunt, non ſolum, quæ aperte obſcœna ſunt, & turpia, vel ſcurrilia.

Hiſtriones & Comœdi a communione arcendi, niſi arti ſuæ renuntiaverint. Spectatoribus enim, & auditoribus pleriſque occaſionem ruinæ præbent. Hinc Illiberitanum Conc. Can. 62. ſtatuit, ut *Si Pantomimi credere voluerint, prius artibus ſuis renuntient, & tunc demum ſuſcipiantur, ita ut ulterius ad eas non revertantur. Quod ſi facere contra interdictum tentaverunt, projiciantur ab Eccleſia*. Et Can. 67. prohibet. *Ne qua Fidelis, aut Catechumena, aut Comicos, aut Viros Scenicos habeat: quæcunque hoc fecerit, a Communione arceatur.*

Et Conc. Arelatenſe 1. Can. 5. *De Theatricis, & ipſos placuit, quandiu agunt, a Communione ſeparari*. Quod & Arelatenſe 2. Can. 20. iiſdem verbis confirmat.

Item Conc. Africanum anno 424. Canone 30. vel 63. ſecundum Codicem Canonum Eccleſiæ Africanæ: *De his etiam petendum*, inquit, *ut ſi quis ex qualibet ludicra arte ad Chriſtianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere, non eum liceat a quo quam iterum ad eadem exercenda reduci, vel cogi.*

Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ, Canone 129. *Omnes etiam infamiæ maculis aſperſi, ideſt, Hiſtriones, &c. ad accuſationem non admittantur.*

Conc. Trullanum Canone 51. *Omnino prohibet hæc Sancta, & univerſalis Synodus, eos, qui dicuntur Mimi, & eorum ſpectacula, &c. eaſque, quæ fiunt in ſcena, ſaltationes perfici. Si quis autem præſentem Canonem contempſerit, & ſe alicui eorum, quæ ſunt vetita, dederit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur, ſi vero Laicus, excommunicetur.*

Eccleſiæ Regulas ſecuti Imperatores *Valentinianus, Valens, & Gratianus*, Lege lata prohibuerunt Comœdos, Mimos, Hiſtriones, etiam in mortis periculo conſtitutos, Eccleſiæ Sacramentis donari, niſi artem ejuraverint, ac Theatrum ſe deinceps non conſcenſuros, ſi forte reſtituti fuerint priſtinæ ſanitati, ſpoponderint. Lib. 15. Cod. Theodoſ. Tit. 7. *De Scenicis*, L. *Scenici*, cujus hæc ſunt verba: *Scenici, & Scenicæ, qui in ultimo vitæ, neceſſitate cogente interitus imminentis, ad Dei ſummi Sacramenta properarunt, ſi fortaſſis evaſerint, nulla poſthac in theatralis ſpectaculi conventione revocentur. Ante omnia tamen diligenti obſervari, ac teneri Sanctione jubemus, ut vere, & in extremo periculo conſtituti, id pro ſalute poſcentes, ſi tamen Antiſtites probent, beneficii conſequantur: quod ut fideliter fiat, ſtatim eorum ad Judices, ſi in præſenti ſunt, vel Curatores urbium ſingularum, deſiderium perferatur: quod ut inſpectoribus miſſis, ſedula exploratione quæratur, an indulgeri his neceſſitas paſcat extrema ſuffragia.*

Eandem Regulam Patres confirmant, in primis *Tertull.* Lib. *De Spectaculis* cap. 22. *Ipſi auctores, & adminiſtratores ſpectaculorum... Scenicos ex eadem arte, qua magnificant, deponunt, immo manifeſte damnant ignominia, & capitis minutione, arcentes Curia, Roſtris, Senatu, Equite, ceteriſque Honoribus omnibus, ſimul & ornamentis quibuſdam. Quanta perverſitas! Amant, quos mulctant, depretiant, quos probant, Artem magnificant, Artificem notant. Quale judicium eſt, ut ob ea quis offuſcetur, per quæ promeretur? Immo quanta confeſſio eſt malæ rei, cujus Auctores, cum acceptiſſimi ſunt, ſine nota non ſunt?* Et cap. 23. *Cum igitur humana recordatio etiam obſtrepente gratia voluptatis, damnandos eos cenſeat, ademptis bonis dignitatum, in quendam ſcopulum famoſitatis, quanto magis divina juſtitia in ejuſmodi Artificis animadvertit?*

S. Cypr. Ep. 61. ad *Euchratium* data: *Pro dilectione tua*, inquit, *& verecundia mutua conſulendum me exiſtimaſti, Frater cariſſime, quid mihi videatur de Hiſtrione quodam, qui apud vos conſtitutus in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat, & magiſter, & doctor non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id quod male didicit, ceteris quoque inſinuat; an talis debeat communicare nobiſcum. Puto, nec Majeſtati Divinæ, nec Evangelicæ Diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur. Nam cum in Lege prohibeantur viri induere muliebrem veſtem, & maledicti ejuſmodi judicentur: quanto majoris eſt criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, ſed & geſtus quoque turpes, & molles, & muliebres magiſterio impudicæ artis exprimere? Nec excuſet ſe quiſquam, ſi a Theatro ipſe ceſſaverit, cum tamen hoc ceteros doceat. Non poteſt enim videri ceſſaſſe, qui vicarios ſubſtituit, & qui pro ſe uno plures ſuccedaneos ſuggerit contra inſtitutionem Dei, erudiens, & docens quemadmodum maſculus frangatur in fœminam, & ſexus arte mutetur, & diabolo divinum plaſma maculanti per corrupti, atque enervati corporis delicta placeatur. Quod ſi penuriam talis, & neceſſitatem paupertatis obtendit; poteſt inter ceteros, qui alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, hujus quoque neceſſitas adjuvari, ſi tamen contentus ſit frugalioribus, ſed innocentibus cibis. Nec putet ſalario ſe eſſe redimendum, ut a peccatis ceſſet, quando hoc non nobis, ſed ſibi præſtet. Ceterum quantum velit inde quærat, qualis quæſtus eſt, qui de convivio Abraham, Iſaac, & Jacob homines rapit, & male, ac pernicioſo in ſæculo ſaginato, ad æternæ famis, ac ſitis ſupplicia deducit? Et ideo, quantum potes, eum ab hac pravitate, & dedecore ad viam innocentiæ, atque ad ſpem vitæ ſuæ revoca; ut ſit contentus Eccleſiæ ſumptibus, parcioribus quidem, ſed ſalutaribus. Quod ſi illic Eccleſia non ſufficit, ut laborantibus præſtet alimenta, poterit ſe ad nos transferre, & hic quod ſibi ad victum, atque ad veſtitum neceſſarium fuerit accipere; nec alios extra Eccleſiam mortalia docere, ſed ipſe ſalutaria in Eccleſia diſcere.*

Lactantius, Lib. 4. *Divinarum Inſtitutionum*, cap. 20. *Hiſtrionum, quoque impudiciſſimi motus, quid aliud niſi libidines docent, & inſtigant? Quorum enervata corpora, & in muliebrem inceſſum, habitumque mollita, impudicas fœminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus diſciplinam? Qui docent adulteria, dum fingunt: & ſimulatis erudiunt ad vera.*

S. Aug. Concione in Pſ. 102. *Cum dico, Occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi: hæc duo nomina non ſuperflua ſunt. Aliud quod homo, aliud quod peccator. Quod homo opus eſt Dei: quod peccator, opus hominis eſt. Da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo,* inquis, *me prohibes dare operi hominis? quid eſt dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Et quis hoc facit?* inquis, *utinam nemo, utinam pauci, utinam non publice... Qui donat Hiſtrionibus... Quare donat?... Nunquid non & ipſi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, ſed nequitiam operis humani.*

S. Iſidorus Peluſiota, Epiſt. 363. Lib. 3. *Scenicis*, inquit, *ſummum hoc ſtudium eſt, non ut per ipſorum cavillos multi meliores reddantur.... verum ut multi peccent. Etenim in ſpectatorum improbitate felicitatem ſuam conſtitutam habent, Ita ſit, ut ſi illi meliores efficiantur, ſua his ars peritura ſit. Quamobrem, nec unquam eos, qui delinquunt, corrigere in animum induxerint; nec ſi velint, id poſſint. Mimica enim*

eo-

eorum ars natura tantummodo ad nocendum comparata eſt.

Quamobrem exiſtimo *S. Th.* qui Patrum, & Conciliorum doctrinam, caſtamque, ac ſeveram Moralis Chriſtianæ Diſciplinam ubique ſectatur, Hiſtrionum nomine Comicos, & ſcenicos homines, ſive Mimos proprie dictos non intellexiſſe, ſed latiori quadam ſignificatione uſurpaſſe Hiſtrionum nomen ad deſignandos homines, qui honeſtis facetiis, & corporis agilitate, dexteritate, induſtria, quædam efficiunt præſtigiis ſimilia, & quæ admirationem ſimul, ac delectationem pariunt: de hoc (inquam) ludorum genere loqui videtur 2. 2. qu. 169. art. 2. ad tertium, cum ait; *Officium Hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati, dummodo moderate ludo utantur, ideſt, non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis. Et quamvis in rebus humanis non utantur alio officio per comparationem ad alios homines; tamen per comparationem ad ſe ipſos, & ad Deum alias habent ſerioſas, & virtuoſas operationes, puta, cum orant, & ſuas paſſiones, & operationes componunt, & quandoque etiam pauperibus eleemoſynas largiuntur. Unde illi, qui moderate eis ſubveniunt, non peccant, ſed juſte faciunt mercedem miniſterii eorum eis tribuendo. Si qui autem ſuperflue ſua in tales conſumunt, vel etiam ſuſtentant illos Hiſtriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quaſi eos in peccatis foventes.* Unde *S. Aug.* Tractatu 10. in *Joannem* ait, *Donare res ſuas Hiſtrionibus, vitium eſt immane, non virtus*. Et quomodo *S. Th.* primi generis hiſtriones, qui ſcilicet in Theatris, & Comædiis perſonas agunt, aut ludicris, ſcurrilibuſque actionibus, & verbis, ſpectatorum, & auditorum riſum provocant, approbaſſet, cum ea duntaxat

De Scandalo. ſpectacula approbet, *Quæ ſunt de rebus utilibus, & ad vitam neceſſariis, ſicut ſunt venationes, & cetera hujuſmodi, quæ animum* honeſte *diſtrahunt*, & quibus *ſine peccato* poteſt *intendi, ſervata diſcretione debita quantum ad conditiones perſonæ, & aliarum circumſtantiarum*; ut loquitur in 4. Sententiarum, diſt. 16. q. 4. art. 2. quæſtiunc. 2. Et ludos tantum *liberales* probet, qui *materia virtutis* eſſe poſſunt, quod de Mimorum ſcurrilibus actionibus, ac verbis nemo cordatus ſenſerit, ac dixerit. Et 2. 2. qu. 167. art. 2. ad ſecundum ait: *Quod inſpectio ſpectaculorum vitioſa redditur, in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel laſciviæ, vel crudelitatis, quæ ibi repræſentantur*. Et qu. 168. art. 2. tres conditiones poſtulat ad ludi honeſtatem, quæ Comœdiis & Ludis hiſtrionicis non conveniunt. *Prima, & principalis eſt, ut delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis*. Unde *Tullius* dicit in 1. *De Officiis*, *Quod unum genus jocandi eſt illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum*. Altera conditio eſt, *Ne totaliter gravitas animæ reſolvatur*. Tertia, *Ut congruat perſonæ, & tempori, & loco, & ſecundum alias circumſtantias debite ordinetur, ut ſcilicet ſit tempore, & homine dignus.*

REGULA XVI.

Lethalis ſcandali rei ſunt, qui ad ludos aleatorios ædes ſuas locant, vel commodant, aut publicas, vel privatas hujuſmodi ludorum academias aperiunt.

Spiritualis enim ruinæ occaſionem præbent omnibus, qui eo confluunt ad colludendum, eorumque peccatis cooperantur. Peccant præterea in Leges Eccleſiaſticas, & Civiles, quæ hujuſmodi Academias prohibent, gravibus pœnis ſtatutis. Cum illis, qui alea ludunt, vel domos ad ludos taxillorum, & teſſerarum, aut chartarum aperiunt, velut cum publicis peccatoribus agi ex Eccleſiæ Diſciplina, ſtatuit Concilium Mediolanenſe 4. anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, iiſque, qui domos ſuas locant, vel commodant ad hujuſmodi ludos, Abſolutionem Sacramentalem impertire vetat, velut hominibus in proxima peccati mortalis occaſione conſtitutis. Diœceſana Synodus Montis Caſſini illos Excommunicatione plectit. His Abſolutionem Sacramentalem negari jubent Statuta Synodalia Diœceſis Biſuntinæ, & Diœceſis Aquenſis. Sed & Leges Civiles alearum Academias prohibent, ludoſque illos Laicis æque ac Clericis vetant. Lib. 1. Cod. Tit. 4. *De Epiſcopali Audientia*, L. *Certiſſime*, & Lib. 10. D. Tit. 5. *De Aleatoribus*, L. *Prætor*. Et *S. Ludovicus* Rex Francorum Conſtitutione edita anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto: *Scholas ludorum prohibemus*, inquit, *& tenentes eas diſtrictius puniantur*. Quam legem tranſcripſit Concilium Bitterrenſe anno ſequenti celebratum, Canone 24. Idem ſub gravi mulcta prohibitum eſt Bleſenſi Conſtitutione *Caroli IX.* Regis Chriſtianiſſimi, artic. 101. Edicto *Henrici III.* dato menſe Martio, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo; Declaratione *Ludovici XIII.* qua præter mulctam arbi-

Ludorum aleatoriorum Academiæ. trariam, aliaſque pœnas in eos, qui ædes ad ludos aleæ, taxillorum ſcilicet, & chartarum locaverint, aperuerint, commodaverint, ſive aleatores in iis ſuſceperint, conſtitutas; vult dictarum ædium dominos, proprietarios, ſeu locatores propriis, privatiſque nominibus pecuniarum, ac rerum omnium illis ludis ibi amiſſarum ab illis repetundarum lege teneri, & ad reſtitutionem obligari. Quocirca Judicibus Ordinariis toto Regno præcipit, ut in ædes, & loca, ubi hujuſmodi ludorum academias, & aleatorum conventus haberi moniti fuerint, deſcendentes, captis hominibus, pecuniiſque, gemmis, aliiſve rebus ludo expoſitis, quas Xenodochiis diſtribui jubet, ex Legum, & Regiarum Conſtitu- De Scandalo.
tionum ſeveritate tam contra aleatores ipſos, quam contra dominos, proprietarios, ſive locatores dictarum ædium, vel locorum agant, & decernant. Edita eſt hæc Declaratio die trigeſima Maji anno undecimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, & in Senatu Pariſienſi promulgata die 23. Junii ejuſdem anni. Rex idem Juſtus art. 137. Conſtitutionis editæ die 15. Januarii anni milleſimi ſexceteſimi vigeſimi noni omnibus ſuæ ditionis ſubditis prohibet, ne ſuas in ædes conventus ad ludum, quæ vulgo academiæ nominantur, recipiant, vel domos eum in finem locent, aut commodent. Qui id fecerint, infames, inteſtabiles, Officiorum Regiorum in perpetuum incapaces declarantur: exilio perpetuo a civitatibus, in quibus hanc Legem violaverint, damnantur. Dictas domos, in quibus alea per ſex menſes luſum fuerit, Fiſco addici: illos omnes, qui ad hujuſmodi ludorum academias ter adierint, infames, & inteſtabiles pariter fore, & ab omnibus Officiis, & Magiſtratibus repelli debere ſtatuit, ac decernit.

Hæc Regum Chriſtianiſſimorum Edicta Chriſtianæ Morum Diſciplinæ omnino conſona ſunt, quæ Aleatores lethalis peccati reos eſſe docet, ut probavimus Lib. 2. Tractatu *De Sacramento Ordinis*, art. 16. *De Vita & Honeſtate Clericorum*, Regula 3. prolatis Patrum, & Conciliorum teſtimoniis, quæ hic repetere minime neceſſe eſt.

Hanc Regulam confirmat *S. Bernardinus Senenſis* Sermone 33. in Dominicam 5. Quadrageſimæ, P. 1. *Dans domum, ut intus ludatur*, inquit, *fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt, Dans tabulam, & præſtans taxillos, toties peccat mortaliter, quoties præſtat. Nullus Confeſſor poterit eum abſolvere, donec removerit domum a tali peſſimo uſu ludendi. Impoſſibile eſt illum ſalvari, niſi relinquat illas ſuas artes maledictas.*

Denique *S. Carolus*, in *Inſtructionibus Prædicatorum verbi Dei*, jubet ut Concionator e Sacro Suggeſtu *Omnem aleam, omnemque ejus generis ludum, unde jurgiis, furto, maledictis, ac aliis malis, maleficiiſque quaſi fores aperiuntur*, graviter objurget, atque exagitet: atque *Eorum peccatum inſectetur, qui ædes ſuas quaſi Ludum aleatorium exponunt.*

REGULA XVII.

Lethalis ſcandali rei ſunt, qui publicis concubinariis, meretricibus, lenonibus, aut lenis ædes locant,

Præbent enim occaſionem ruinæ proximo, & omnibus proſtitutionibus, fornicationibus, adulteriis, lenociniis, turpibuſque commerciis, & operibus, quæ ibi fiunt, cooperantur. Id confirmat Novella *Juſtiniani* Imperatoris, 14. Tit. 1. *De lenonibus*, Collat. 3. *Si quis autem*, inquit, *patiatur in ſua domo quendam lenonem, & hæc denuntiata cognoſcens, non etiam domo ſua expulerit: ſciat ſe, & decem librarum auri ſuſtinere pœnam, & circa ipſam periclitaturum habitationem*. Nec eos excuſat temporale damnum inde emergens, quod domus tardius, aut viliori pretio locetur, niſi hujuſmodi peſtibus locetur. Nam ſi nullus affectus propinquornm, filiorum, parentum, amori Dei, ſtudioque ſalutis æternæ præponendus eſt, multo minus lucrum temporale. Unde *S. Hier.* in c. 17. *S. Matthæi* ait: *melius eſt, ut emolumentis carnalibus careas; ne dum vis lucrifacere cognatos, & neceſſarios, cauſſam habeas ruinarum. Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere poteſt a Regno cœlorum, amori Domini præponatur. Novit unuſquiſque credentium, quid ſibi noceat, vel in quo ſollicitetur animus, ac ſæpe tentetur. Melius eſt vitam ſolitariam ducere, quam ob vitæ præſentis neceſſaria æternam vitam perdere.*

REGULA XVIII.

Bona ſpiritualia ad ſalutem neceſſaria nunquam omittenda ſunt ad vitandum aliorum ſcandalum, ſive ne alius in peccatum ruat.

Manifeſtum eſt enim (inquit) *S. Thomas* 2. 2. qu. 43. art. 7.) quod *Nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat, quia ſecundum ordinem caritatis plus debet homo ſuam ſalutem ſpiritualem diligere, quam alterius, Et ideo, ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, prætermitti non debent propter ſcandalum vitandum*. Unde nec veniale peccatum committere unquam licet, ne alius mortaliter peccet, quia *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*; (quemadmodum docet Apoſtolus ad *Romanos* 3.) Idque *S. Th.* confirmat in Reſponſione ad quartum.

RE-

REGULA XIX.

Falſitatem docere, aut veritatem doctrinæ diſſimulare, vel ſilere, cum ad ſalutem, aut Chriſtianam Perfectionem neceſſaria eſt, vel eam docere ſeu prædicare alicui, incumbit ex officio, nunquam licet ad vitandam aliorum offenſionem, ſeu ruinam.

Matth. 17. Ita docet S. Greg. Hom. 7. in Ezechielem: *Ecce, inquit, Magiſtra Veritas, ne in quorundam cordibus gigneretur ſcandalum; quod non debuit, tributum dedit. Et rurſum quia generari ſcandalum, in quorundam cordibus contra veritatem vidit, in ſuo eos ſcandalo remanere permiſit.* Matth. 15. *Ex qua re nobis conſiderandum eſt, quia in quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus. Si autem de veritate ſcandalum ſumitur, utilius naſci permittitur ſcandalum, quam quod veritas relinquatur.*

Idem confirmat S. Th. 2. 2. q. 43. art. 7. in Reſponſione ad ſecundum. *Circa doctrinam*, inquit, *duo ſunt conſideranda, ſcilicet veritas, quæ docetur, & ipſe actus docendi. Quorum primum eſt de neceſſitate ſalutis, ut ſcilicet contrarium veritati non doceat, ſed veritatem ſecundum congruentiam temporis, & perſonarum proponat ille, cui incumbit docendi officium. Et ideo propter nullum ſcandalum, quod ſequi videatur, debet homo prætermiſſa veritate falſitatem docere, Sed ipſe actus docendi inter ſpirituales eleemoſynas computatur: & ideo eadem ratio eſt de doctrina, & de aliis miſericordiæ operibus.* De quibus Doctor idem Angelicus in Reſponſione ad quartum ait: *In veritate vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ non ſolum comprehenditur id, quod eſt de neceſſitate ſalutis, ſed etiam id, per quod perfectius pervenitur ad ſalutem, ſecundum illud* 1. Cor. 12. Æmulamini chariſmata meliora. *Unde etiam conſilia non ſunt ſimpliciter prætermittenda. nec etiam miſericordiæ opera propter ſcandalum: ſed ſunt interdum occultanda, vel differenda propter ſcandalum puſillorum. Quandoque tamen conſiliorum obſervatio, & impletio operum miſericordiæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Quod patet in his, qui voverunt conſilia; & in his, quibus ex debito imminet defectibus aliorum ſubvenire; vel in temporalibus, puta, paſcendo eſurientem; vel in ſpiritualibus, puta, docendo ignorantem: ſive hujuſmodi fiant debita propter injunctum officium, ut patet in Prælatis, ſive propter neceſſitatem indigentis. Et tunc eadem ratio eſt de hujuſmodi ſicut de aliis, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis:* Ideſt, non ſunt propter ſcandalum dimittenda.

Qua vigilantia Concionatores & Doctores cavere debeant, ne ſcandalum ex eorum doctrina, aut Concionibus oriatur. — De Scandalo.

Secundum hanc Regulam concionatores, & Doctores abſtinere debent ab iis quæſtionibus tractandis coram Populo, aut in Scholis, quas *ſtultas, & ſine diſciplina* vocat Apoſtolus, quæ *generant lites*, & quæ ad nihil ſunt utiles *niſi ad ſubverſionem audientium*; vel quæ, cum nihil conferant ad agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, & *Ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*, offenſionem puſillis movere poſſunt, ſive ratione ipſius doctrinæ, quam ferre non valent, ſive ratione modi, quo proponitur, aut docetur, ſive ratione temporis, & loci, aliarumque circumſtantiarum. Sed tamen ſubterfugere non debent quo minus annuntient, quicquid ad ſalutem, ad fidem, ſpem, caritatem, ceteraſque virtutes inferendas; ad deſtruendam cupiditatem, vitiaque omnia evellenda; ad ædificandum corpus Chriſti, ad reformandam, & perficiendam imaginem Dei, ad formandum novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis, pertinet. Unde Apoſtolus Majoribus natu Epheſinæ Eccleſiæ ajebat, ut *Actuum* 20. refertur: *Vos ſcitis, a prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam... quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, teſtificans Judæis, atque Gentilibus in Deum Pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum... Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Si enim a vitiorum, pravarumque conſuetudinum reprehenſione ſuperſedent, ne diſpliceant auditoribus, ipſis convenit Propheticum illud: *Canes muti non valentes latrare.* Iſa. 56. 10.

Concionatorum in vitiis reprehendendis zelus, & prudentia.

Publicorum itaque peccatorum illecebras, quas homines depravatæ conſuetudinis errore decepti pro nihilo putant, concionator perpetuo reprehendat, atque in ſummum odium adducere contendat, ſpectacula, choreas, ſaltationes, ſcenicas, perſonataſque actiones, omnem in muliebri veſtitu luxum, deformem illam capitis ornandi ſpeciem, muliebres fucos, ac pigmenta, ceteraque ad mollitiem, atque adeo ad libidinis incitamentum fœde excogitata; effuſam etiam virorum impenſam, & omnem intemperantiam; ſervorum, quorum opera nulla eſt, neque domi, neque foris, multitudinem inutilem, ac deſidem, epulas illas ſumptuoſas, & comeſſationes immoderatas, omnes intemperantiæ, libidinis, aliorumque vitiorum illecebras; ludos aleatorios, omneque peccatorum genus, quæ frequentiora ſunt, graviter, & quam maximo poterit zelo e Suggeſtu inſectetur, prout præſcribit S. *Carolus Borromæus*, in *Inſtructionibus Prædicatorum verbi Dei*; nec timeat, ne auditores inde offendantur; quia ſi qui ex tam ſalutiferis adhortationibus, & reprehenſionibus vitiorum offenderentur, ſcandalum eſſet Phariſæorum, non puſillorum. Verumtamen caveant, quod Mediolanenſi Concilio 1. prohibitum, & in eaſdem S. Caroli Inſtructiones tranſcriptum eſt: *Ne quenquam nominatim, aut tacite illum deſignantes, inſectentur; ne in Ordinem ullum, Statum, aut vitæ genus ab Eccleſia receptum invehantur. Ne Epiſcopos, alioſve Prælatos, neve Civiles Magiſtratus, cum auditorum offenſione aſperius objurgent, ſed pie potius admoneant. Populumque doceant Præpoſitis ſuis etiam diſcolis obedire.... Ne cum reprehenderit Concionator, non hominum, ſed peccatorum odio, immo pietatis, & caritatis ſtudio ductus faciat. Ne vitiis exagitandis quaſi furenter iratus, excandeſcat nimis. Ne injurioſa verba proferat, neve ignominioſa. Ne obtrectationibus, quæ aliquando fiunt, & querimoniis de ſuggeſtu reſpondeat....Ne aures facile præbeat Laicis Clericorum vitæ detrahentibus, aut Civitatis Rectorum, Præſidumve culpam aliquam calumniantibus; ſed omnia ante diligenter, diuque perpendat, quam ad reprehenſionem deſcendat.* S. Carolus in Inſtructionibus.

REGULA XX.

Omne, quod fieri poteſt, vel non fieri, ſalva triplici veritate, doctrinæ ſcilicet, vitæ, & juſtitiæ, dimitti debet ob vitandum ſcandalum puſillorum.

Regula eſt a Theologis recepta, & ſub nomine S. Hieronymi laudari ſolita, cum tamen illius non ſit. Habetur autem in Gloſſa *Nicolai de Lyra*, abſque S. Hieronymi nomine. Sed triplex illa veritas nunquam dimittenda eſt propter ſcandalum paſſivum, ſive ne alius peccet. Rationem affert S. Th. in 4. *Sentent.* diſt. 38. q. 2. art. 4. *Cum homo*, inquit, *ex ordine caritatis ſe plus, quam proximum in ſpiritualibus bonis diligere teneatur, nullo modo aliquis peccare debet, ut peccatum alterius vitet. Quicunque autem veritatem relinquit, peccat. Veritas autem, de qua loquimur, conſiſtit in hoc, quod homo in dictis, & factis ſuis rectitudini divinæ, ſeu divinæ Legis regulæ ſe conformet. Cui quidem homo conformari debet, & in his, quæ ad cognitionem pertinent, & hoc pertinet ad veritatem doctrinæ: & in his, quæ ad actionem ſpectant: ſive ea debeat aliquis per ſe ipſum agere, quod pertinet ad veritatem vitæ, ſive ea debeat aliis obſervanda promulgare, quod pertinet ad veritatem juſtitiæ, quæ conſiſtit in rectitudine judicii. Non tamen quicunque prætermittit aliquid, in quo ſe divinæ legi conformare poteſt, dicitur veritatem dimittere, quia illo remoto veritas adhuc remanere poteſt: ſed tunc dicitur aliquis veritatem dimittere, quando dimittit, vel facit aliquid, quo omiſſo, & facto veritas non manet; quod ſine peccato eſſe non poteſt. Et ideo nullo modo veritas propter ſcandalum paſſivum alterius dimittenda eſt.*

Ceterum *Veritas doctrinæ non prætermittitur, quando aliqua res vera tacetur, ſed quando veritati illius præjudicium generatur, ſive ex contraria doctrina, ſive ex taciturnitate aliquorum: & ſic propter nullum ſcandalum eſt veritas doctrinæ relinquenda*; ut rurſus obſervat S. Th. ibid. art. 3. in Reſponſione ad ſecundum. Alioquin eo reatu Doctor, vel Concionator ſe obſtringit, quem reprehendit Apoſtolus ad Romanos c. 1. dicens: *Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Sed cum veritas non eſt ad ſalutem, aut ad perfectionem ſalutis neceſſaria; aut nullum ipſi præjudicium creatur ex ſilentio, immo ipſius veritatis caritas, & caritatis veritas poſtulant, ut tunc taceatur, & opportuno tempore dicenda, vel prædicanda differatur, ſilentio interim premi poteſt. Unde Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis ait, Joan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Et Sanct. *Gregor. Nazianz.* Epiſt. 24. ad *Sanctum Baſilium* vigeſima eſt, ipſius œconomiam excuſat, quod Spiritus Sancti Divinitatem aliis dictionibus ſatis ſignificans, ipſum expreſſe Deum aliquando non appellaverit; ut tempeſtates, & fragores vitaret adverſus ipſam veritatem concitandas. *Præſtat itaque*, inquit, *œconomiam quamdam ad veritatem adhibitam fuiſſe, nobis videlicet tempori, quaſi nebulæ cuidam, nonnihil cedentibus, quam ut ea ob prædicationis perſpicuitatem opprimeretur. Nos enim ex ea re nihil damni facimus, ſi ex aliis quoque dictionibus, quibus id certo colligatur, Spiritum Sanctum Deum agnoſcamus. Neque enim in verborum ſono potius quam in mente, & ſententia veritas ſita eſt. Eccleſia autem grave vulnus acceptura eſt, ſi ob unius hominis ejectionem veritas profligetur.* De Scandalo.

REGULA XXI.

Bona ſpiritualia, quæ ad ſalutem non ſunt omnino neceſſaria, ob ſcandalum puſillorum vitandum, quandoque differenda, vel occultanda ſunt, non abſolute, & in perpetuum dimittenda.

Hanc Moralis Chriſtianæ Regulam dilucide S. Thomas explicat in 4. *Sententiarum*, diſt. 38. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. *Omnia*, inquit, *opera perfectionis, quæ non ſunt in præcepto, conſilia dicuntur: unde prætermitti poſſunt, ſalva triplici veritate. Sed aliquando cadunt ſub præcepto, vel ex voto, vel ex aliqua alia circumſtantia: & tunc prætermitti non poſſunt ſine præjudicio veritatis vitæ.* Scandalum porro paſſivum duplici ex cauſſa oriri poſſe obſervat: *Quia quandoque oritur ex malitia odientium veritatem, qui turbantur, & alios turbant propter opera lucis, quaſi filii tenebrarum; & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, ut S. Bern. dicit* (Tractatu *De præcepto, & Diſpenſatione*, cap. 9) *Et propter hoc ſcandalum paſſivum nullo modo conſilia ſunt dimittenda; quia ſic daretur locus iniquis impediendi opera perfectionis, cum vellent. Unde Dominus dixit de Phariſæis, qui ex malitia ſcandalizabantur ex factis, & dictis ejus:* Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. *Quandoque autem oritur ex ignorantia, vel infirmitate; & hoc dicitur, ſecundum S. Bernardum, ſcandalum puſillorum, qui non cognoſcunt veritatem; & propter hoc de operibus veritatis turbantur. Et hoc ſcandalum cavit Dominus*, Matth. 17. *ubi dicit Petro*, Ut autem non ſcandalizemus eos, &c. *& cavere docuit*, Matth. 18. *Unde propter tale ſcandalum paſſivum conſilia ſunt ad tempus intermittenda, vel occulte agenda, non autem omnino dimittenda: quia homo plus ſibi, quam proximo in ſpiritualibus providere debet: & ignorantia, ſi diu duret, in malitiam per obſtinationem commutatur.*

Et 2. 2. q. 43. art. 7. *In ſpiritualibus bonis*, inquit, *quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, videtur diſtinguendum: quia ſcandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum ſcilicet aliqui volunt impedire hujuſmodi bona, ſcandala concitando. Et hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, quod eſſe contemnendum Dominus docet. Quandoque vero ſcandalum procedit ex ignorantia, vel infirmitate: & hujuſmodi eſt ſcandalum puſillorum, propter quod ſunt ſpiritualia, bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quouſque reddita ratione, hujuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem poſt redditam rationem hujuſmodi ſcandalum duret, jam videtur ex malitia eſſe. Et ſic propter ipſum non ſunt hujuſmodi ſpiritualia opera dimittenda.*

De ſcandalo.

Secundum hanc Regulam, filii, qui ſpiritualem ruinam parentibus imminere vident, ſi ſtatum Eccleſiaſticum amplectantur, aut Monaſterium ingrediantur: nempe ſi inde gravis oriatur in familia perturbatio, ſi juramenta, imprecationes, maledicta, differre debent ad tempus pii propoſiti executionem, donec parentum conſenſum rationibus, precibus, conſtantia, piorum hominum conſilio, amicorum interceſſione, & maxime ferventiſſimis ad Deum fuſis orationibus, qui habet inclinandorum quocunque voluerit humanorum cordium omnipotentiſſimam poteſtatem, obtinuerint. Quod ſi animos ipſorum ſedare, & offenſionem removere non poſſint, Phariſæorum ſcandalum erit: tunc itaque filii magis obediant Deo ipſos vocanti, quam hominibus a via perfectionis, & a meliori bono ipſos revocantibus. Id confirmat S. Th. in 4. *Sententiarum*, diſtinctione, quæſtione, & articulo mox indicatis, in Reſponſione ad ſecundam objectionem: *In eo*, inquit, *qui Religionem vult intrare, diſtinguendum eſt. Quia, aut ſibi timet de periculo ſalutis imminente, ſi in ſæculo remaneat; & tunc debet omnibus modis obviare periculo vitæ, ſcandalo non obſtante; Si autem non immineat, & voto non obligatur, debet pro vitando juſto ſcandalo parentum, quibus ſubvenire tenetur, ad tempus ſuſpendere propoſitum perfectionis; ut præceptum impleat pro ſuo tempore de honorandis parentibus, & poſtmodum conſilium tempore magis idoneo. Si autem ſcandalum propinquorum, vel aliorum ſit irrationabile, jam accedit ad ſcandalum Phariſæorum; unde tunc propter ſcandalum non debet prætermittere bonum propoſitum.* Quo pertinet illud S. Hier. ep. 1. ad Heliodorum, *Licet parvulus in collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera ſua oſtendat mater, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem; ſiccis oculis ad vexillum Crucis evola, ſolum genus pietatis eſt in hac eſſe crudelem.*

Secundum eandem Regulam, mulieres conjugatæ dimittere debent bona ſpiritualia, quæ ad ſalutem minime neceſſaria ſunt, quæ ad Officia Chriſtianæ Vitæ, ſecundum Legis Divinæ, vel Eccleſiaſticæ præſcriptum non pertinent, ſi mariti inde peccandi occaſionem ſumant, maledicendi ſcilicet, jurandi, popinas frequentandi, adulterium committendi: præſertim vero ſi ex diuturniori illarum in Templis manſione, prolixioribuſque precibus, aut frequentiori, & intempeſtiva diebus etiam profeſtis Communione res domeſtica, & familiæ cura negligatur. Tunc enim non ſolum paſſivum ex parte maritorum, ſed etiam activum, & datum ex parte mulierum ipſarum ſcandalum eſt, quicum nullum ſpirituale bonum Deo gratum eſt: ſiquidem ſcandalum activum ſemper eſt peccatum.

Denique in vitando puſillorum ſcandalo ita ſe gerere debet Chriſtianus homo, cum aliquid agere vult, vel omittere, cujus executio, vel omiſſio non eſt omnino neceſſaria ad ſalutem, ſed tamen opus illud, vel omiſſio operis ſpirituale bonum eſt; ut ſi reddita facti ſui ratione perturbatio infirmorum, & puſillorum non ſedetur, nec ſcandalum removeatur, quia vel rationem non capiunt propter hebetudinem mentis, vel ob alias rationes, quibus mens eorum pulſatur magis, & afficitur, ob præjudicia, ob conſuetudinem: tunc, *inquam*, Vir Chriſtianus abſtineat ab hujuſmodi operibus, vel ne omittat id, cujus omiſſio puſillos, & infimos offendit, donec plenius informentur. Verumtamen: *Attendenda eſt quantitas ſcandali, & boni, quod contingit ex conſilio ſervato: & ſecundum hoc aliquando conſilia ſunt prætermittenda propter ſcandalum puſillorum, vel ſcandalum contemnendum propter conſilia* (ut docet S. Th. in 4. *Sentent.* diſt. 38. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2.) De ſcandalo.

REGULA XXII.

Bona temporalia, quorum adminiſtratio, vel cuſtodia fidei ſuæ commiſſa eſt, nemini dimittere licet ob vitandum ſcandalum.

Ita docet S. Th. in 4. *Sententiarum*, diſt. 38. qu. 2. art. 4. *Aliquando*, inquit, *ſequitur ſcandalum paſſivum ex hoc, quod aliquis rem temporalem non donat: & in hoc diſtinguendum eſt: quia quandoque non poteſt dare ſine peccato; vel quia ſcit illum, cui dat, uſurum re data in malos uſus; vel quia non eſt dare rem temporalem uni ſine præjudicio alterius; ſicut ſi illi, qui gerunt alicujus communitatis curam, dent aliqua, ex quorum ſubtractionem fiat pejor conditio illius communitatis. Et tunc non debet dare temporalem rem propter ſcandalum vitandum; quia hoc eſſet facere contra veritatem juſtitiæ, aut vitæ.*

Et 2. 2. q. 43. art. 8. *Temporalia bona*, inquit, *aut ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſervandum pro aliis commiſſa; ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuſcunque Reipublicæ Rectoribus. Et talium conſervatio, ſicut & depoſitorum, imminet his, quibus ſunt commiſſa, ex neceſſitate. Et ideo non ſunt propter ſcandalum dimittenda; ſicut nec alia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis.* Unde S. *Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, Eccleſiaſticæ Libertatis vindex, & Martyr, Eccleſiæ bona, juraque repetiit, poſthabito *Henrici* Angliæ Regis, Procerumque ſcandalo.

REGULA XXIII.

Bona temporalia, quorum domini ſumus, quandoque ob vitandum ſcandalum puſillorum negligenda ſunt; vel certe ſcandalum alia ratione ſedandum eſt.

Hanc Moralis Chriſtianæ Regulam tradit S. Th. 2. 2. q. & art. ſupra indicatis. *Temporalia bona*, inquit, *quorum ſumus domini, dimittere, ea tribuendo, ſi penes nos ea habeamus; vel non repetendo, ſi apud alios ſint, propter ſcandalum quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim ſcandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod ſupra diximus eſſe ſcandalum puſillorum; tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia, vel aliter ſcandalum eſt ſedandum, ſcilicet per aliquam admonitionem. Unde S. Aug.* Lib. 1. *De Serm. Domini in Monte*, c. 20. hæc verba Chriſti, *Omni petenti da*, explicans, ait, Omni Petenti, *non omnia petenti: ut id des, quod dare honeſte & juſte potes. Quid ſi enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere?...Sed, ne multa perſequar, quæ ſunt innumerabilia, id profeſto dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum ſciri, aut credi ab homine poteſt: & cui juſte negaveris, quod petit, indicanda eſt ipſa juſtitia, ut non eum inanem dimittas; ita omni petenti te dabis, quamvis non ſemper id quod petit, dabis, & aliquando melius aliquid dabis, cum petentem injuſta correxeris.*

Hinc idem S. Th. loco ſupra citato ex 4. *Sententiarum*, ait: *Quandoque ſcandalum paſſivum procedit ex ignorantia; & tunc poteſt dare quaſi ex conſilio, ſed non tenetur quaſi ex præcepto: quia poteſt petentem repellere inſtruendo eum. Et hoc quandoque magis prodeſt, (quando ſcilicet eſſet talis ignorantia, quæ vergeret in præjudicium veritatis doctrinæ) quam ſi daretur res temporalis; quia per hoc ille in ſuo errore foveretur: ſicut patet de Hæreticis illis, qui dicunt, Quod quilibet debet bona ſua pauperibus dare petentibus, etiam extra caſum neceſſitatis extremæ.*

Cum vero ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſæorum (inquit S. Th. 2. 2. q. & art. mox laudatis) *propter eos, qui ſic ſcandala concitant, non ſunt temporalia dimittenda, quia hoc & noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occaſio; & noceret ipſis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent.*

CAPUT VIII.

De ſexto Decalogi Præcepto.

INjuria in proximum atrociſſima homicidium eſt; proxima adulterium: ut enim viro nihil conjunctius uxore legitima, ita nulla gravior contumelia eſt, quam uxoris per adulterium conſtupratio. Convenienti itaque ordine ſextum Præceptum, Non mœchaberis, quod conjugia munit, Præceptum illud ſequitur, quod corpora, & vitam proximorum tuetur, ac defendit. Ex. 20. 14.

ARTICULUS PRIMUS.

Præcepti ſenſus explicatur.

PRæcepti hujus duplex vis eſt: altera, quæ difertis verbis adulterium vetatur, altera, quæ ad animi, corporiſque caſti-

caſtitatem colendam nos obſtringit: hoc autem Mandatum Chriſti *Matth.* 5. eodem modo interpretatur, ac ſuperius. Docet nimirum eo ſummoveri non externum tantum adulterium, ſed omnem penitus adulterii cauſſam, ac radicem, adeoque omnes affectus, qui huc tendunt. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt Antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

Omne luxuriæ genus ſexto Decalogi præcepto prohibitum.

Mœchiæ porro nomen erit, etſi Græci ad ſignificandum adulterium frequentius uſurpent: tamen ſicut furti nomine intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ, in ſeptimo Præcepto. *Non furtum facies*: (Non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed utique a parte totum intelligi voluit, quicquid illicite rerum proximi aufertur:) ita in hoc Præcepto, *Nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi*; (inquit *S. Aug.* Lib. 2. Quæſtionum in *Exodum*, q. 71.) Corruptio igitur omnis, luxuriæ genus omne, ſeu adulterium, ſeu fornicatio, ſeu ſtuprum, ſeu inceſtus, ſeu ſacrilegium, ſeu demum peccata contra naturam, hoc præcepto Decalogi prohibentur, de quibus luxuriæ generibus ſatis actum eſt, cum de peccatis tractaremus, nec repetere hic juvat.

Adulterii crimen gravius fornicatione ſimplici.

Quamvis autem fornicatio lethale ſit peccatum, quo membra Chriſti turpiter inhonorantur; quo gravis Spiritui Sancto irrogatur injuria, cujus Templum violatur; quo homines a Regno Dei pelluntur, & exterminantur, ut docet Apoſt. 1. ad Cor. 6. & ad Epheſ. 5. in adulterii tamen ſcelere major ineſt iniquitas, quam in fornicatione ſimplici, quia injuſtitiæ peccatum non ſolum in proximum, ſed etiam in civilem ſocietatem adjunctum habet; graviorem etiam turpitudinis, infamiæque notam hominibus inurit. Nam Pr. 6. 32. ſcriptum eſt: *Qui adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam, turpitudinem, & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.* Quam vero fœda eſt excuſatio virorum dicentium ſe continere non poſſe, aut intra Matrimonii, thorique legitimi limites ſiſtere! *Fœdum eſt* (inquit *S. Aug.* Ser. 9. De decem Cordis,) *ut vir dicat, non poſſe fieri: quod facit fœmina. Scelus eſt, ut vir dicat: Non poſſum. Quod poteſt fœmina, vir non poteſt? Quid enim, illa carnem non portat? Prior a ſerpente decepta eſt. Caſtæ uxores veſtræ oſtendunt vobis, fieri poſſe, quod non vultis facere, & dicitis fieri non poſſe. Sed forte dices, ideo illam facilius facere poſſe, quia multa illi cuſtodia eſt, legis præceptum, diligentia maritalis, terror etiam Legum publicarum; eſt etiam verecundia, & pudoris illius magnum munimentum. Multa cuſtodia faciunt fœminam caſtiorem, virum caſtum faciat ipſa virilitas. Nam ideo mulieri major cuſtodia, quia major infirmitas. Illa erubeſcit viro, tu non erubeſcis Chriſto? Tu liberior, quia fortior: quia facile vincis, ideo tibi commiſſus es. Super illam, & diligentia viri, & terror legum, & conſuetudo morum, & verecundia major, & Deus; ſuper te tantum Deus. Invenis enim facile pares viros, quibus non timeas erubeſcere; quia faciunt illud multi. Et tanta eſt perverſitas generis humani, ut aliquando metuendum ſit, ne caſtus erubeſcat inter impudicos... Si quis inter vos faciat homicidium, quod avertat Deus, pellere illum vultis de patria, & continuo, ſi fieri poteſt, excludere. Si quis faciat furtum, odiſtis illum, nec videre vultis. Si quis dicat falſum teſtimonium, abominamini, nec vobis homo videtur. Si quis concupiſcat alienas res, raptor, & injuſtus deputatur. Si quis volutatur cum ancillis ſuis, amatur, blande accipitur; convertuntur vulnera in joca. Si quis autem exiſtat, qui dicat ſe caſtum, non facere adulterium, notum autem ſit, quod non faciat, erubeſcit accedere ad illos non ſui ſimiles, ne inſultent, ne irrideant, ne dicant non eſſe virum. Ad hoc delapſa eſt humana perverſitas, ut vir habeatur victus a libidine, & vir non habeatur victor libidinis. Triumphantes exultant, & non ſunt viri: jacent proſtrati, & viri ſunt? Si ſpectares, ille tibi videretur fortior, qui jaceret ſub beſtia, quam qui perimeret beſtiam?*

De adulterio.

Neque vero blandiatur ſibi vir adulter, quia ad alienam uxorem non accedit, ſed ad ancillam, aut aliam mulierem ſolutam. Videat enim an ſibi dici velit ab uxore, Non eo ad virum alienum, ad ſervum meum, aut alium virum ſolutum accedo. Abſit ut hoc dicat illa. *Melius enim dolet te* (inquit S. Auguſtinus) *quam imitatur te. Illa enim caſta, & ſancta fœmina, & vere Chriſtiana, quæ dolet fornicantem virum, & non dolet propter carnem, ſed dolet propter caritatem, non ideo non vult, ut facias, quia & ipſa non facit, ſed quia tibi non expedit. Nam ſi propterea non facit, ut tu non facias, ſi feceris, faciet. Si autem Deo illud debeat, ſi Chriſto illud debeat, quod tu exigis, & ideo reddat, quia jubet ille, etſi fornicatur vir, caſtitatem fœmina illa Deo exhibet.* Chriſtus enim interius in corde caſtæ fœminæ loquitur, dicens: *De injuris viri tui torqueris, quid tibi enim fecit? Dole, ſed ipſum noli imitari, ut male facias, ſed ipſe te imitetur in bono. Nam in eo, quod male facit, noli eum putare caput tuum, ſed me Deum tuum. Nam ſi & in eo, quod male facit, caput eſt, & ſecutum eſt corpus caput ſuum: eunt ambo per præceps: Ut autem non ſequatur malum caput ſuum, teneat ſe ad caput Eccleſiæ Chriſtum: huic debens caſtitatem ſuam, huic deferens honorem ſuum, abſens ſit vir, præſens ſit vir, non peccat illa: quia numquam eſt abſens, cui debet, ut non peccet.*

ARTICULUS II.

Regulæ Morales circa ſextum Decalogi Præceptum.

REGULA PRIMA.

Copula cum aliena Conjuge, etiam conſentiente Marito, Adulterium eſt.

HÆc Regula nititur verbis Apoſtoli ad Romano 7. 2. & 3. *Quæ ſub viro eſt mulier*, inquit, *vivente viro alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Commixtio cum aliena uxore, vivente illius viro, adulterium eſt, ut docet Apoſtolus: vivit porro vir conſentiens, ut uxor ſua cum altero miſceatur; igitur adultera eſt. Neque enim ait Apoſtolus: Vivente, & non conſentiente; ſed ſimpliciter, *Vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Nec ait; Liberata eſt a lege viri, ſi mortuus fuerit, vel conſenſerit vir ejus: ſed, *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Sola ergo mors mariti, non viventis aſſenſus, uxorem a lege viri, adeoque & illius cum altero copulam ab adulterii crimine immunem facit. Et certe cum adulterium nihil aliud ſit, quam *Acceſſus ad alienum thorum*, uxor autem aliena ſit mulier per conjugii legem viro alligata, mutuumque ſit vinculum illud, quandiu vivunt conjuges: *Hæc alligatio facit, ut aliis conjungi ſine adulterina copulatione non poſſit*, (inquit *S. Aug.* Lib. 2. *De Adulterinis Conjugiis*, c. 9.) Sicut ergo velint nolint conjuges, manet vinculum iſtud quandiu vivunt: ita, velint nolint, nequeunt ſine adulterina copulatione aliis commiſceri.

De adulterio.

Eandem Regulam confirmant Patres, in primis Tertull. Apologetici, cap. 39. *Omnia*, inquit, *indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. In iſto ſolo conſortium ſolvimus, in quo ſolo ceteri homines conſortium exercent, qui non amicorum ſolummodo Matrimonia uſurpant, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant, ex illa, credo, majorum, & ſapientiſſimorum diſciplina. Græci Socratis, & Romani Catonis, qui uxores ſuas amicis communicaverunt, quas in Matrimonium duxerant liberorum cauſſa, & alibi creandorum. Neſcio quidem, an invitas. Quid enim de caſtitate curarent, quam mariti tam facile donaverant? O Sapientia Attica, o Romana gravitatis exemplum! Lenones Philoſophus, & Cenſor.*

S. Epiphanius, Hæreſi 26. Gnoſticorum obſcœnos mores deſcribens: *Larga*, inquit, *& opipara edulia, carnis eſum, & vini potum apponunt, etiamſi pauperes fuerint. Ex hoc autem, ubi compotaverint, & venas ſatietate impleverint, ad æſtrum ſe convertunt: & vir quidem concedens uxori alteri, ait ad ipſam: Surge, & fac dilectionem cum fratre.* Quis ita vecors erit, ut iſta Gnoſticorum flagitia a labe adulterii excuſet;

S. Auguſtinus, Libro *De Fide, & Operibus*, c. 7. *Abſit*, inquit, *ut ſenſu plane non humano, ſed plane vano ſic doleamus, cum flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur, maxime in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia, ubi Nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana, non ſolum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato feciſſe perhibetur. Neque hic diutius modo diſputare opus eſt, cum & illi, quibus reſpondeo, non audeant affirmare, nullum hoc eſſe peccatum, neque negent eſſe adulterium, ne ipſi Domino, Sanctoque Evangelio aperte convincantur obſiſtere.*

Fruſtra ergo quidam in erroris huic Propoſitioni contrarii patrocinium *S. Auguſtinum* trahere nituntur, quaſi ſaltem de illius veritate dubitaverit, occaſione hiſtoriæ, quam narrat Lib. 1. *De Sermone Domini in Monte*, c. 17. de Muliere quadam Antiochena, quæ ſe conſentiente marito alteri proſtituit, ut eum a morte liberaret. Neque enim de veritate doctrinæ, ſed de veritate hiſtoriæ, ſive facti dubitare ſe *S. Aug* indicat, cum ait: *Nihil hinc in aliquam partem diſputo, liceat cuique æſtimare, quod velit: non enim de Divinis Auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt.* Ceterum quid ſentiret de veritate dogmatis, diſertis verbis ſignificavit, hujuſmodi hiſtoriæ narrationi hunc in modum præfatus: *Sed tamen*, inquit, *utrum, quod ait Apoſtolus:* Mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir; ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, *poſſit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum altera, quæ nec aliena uxor ſit, nec a viro disjuncta concumbere: ſed non ita eſt exiſtimandum, ne hoc etiam fœmina, viro permittente, facere poſſe videatur, quod omnium ſenſus excludit.* Subdit quidem nonnullas cauſſas poſſe exiſtere, *Ubi & uxor, mariti conſenſu, pro ipſo marito hoc facere debere videatur: ſicut Antiochiæ factum eſſe perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Conſtantii temporibus:* ubi Mulier quædam pro ſervanda mariti vita copiam ſui corporis alteri fecit. Sed quaſdam cauſſas eſſe duntaxat ſignificat, in quibus id non ita refugiat ſenſus humanus, non

1. Cor. 7.

De adulterio.

non autem, ut id liceat ſecundum rectam rationem, & Divinam Legem. *Sed tamen*, inquit, *narrato facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus, quod in illa muliere viro jubente commiſſum eſt, quemadmodum antea, cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus. Sed in hoc Evangelii capitulo nihil fortius conſiderandum eſt, quam tantum malum eſſe fornicationis, ut cum tanto vinculo ſibi conjugia conſtringantur, hæc una cauſſa ſolutionis excepta ſit.* Nec tamen ipſa fornicatio ita conjugia dirimit, ut mulier innocens, vivo marito, quamvis adultero, alteri nubere poſſit, aut copulari. Nam *Mulier alligata eſt, quamdiu vir ejus vivit*, ideſt, marito in corpore conſtituto. *Si autem mortuus fuerit*, hoc eſt de corpore exierit, *ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Quem Apoſtoli locum tractans *S. Aug.* Lib. 2. *De Adulterinis Conjugiis*, c. 24. ait: *Hæc verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus.* Cum igitur adulterium ſit alieni tori violatio, nec poſſit conjux efficere, ut ſuus torus alienus non ſit comparationi cujuslibet tertii; perſpicuum, & exploratum eſt, non poſſe conjugem ullo ſuo conſenſu efficere, quin acceſſus cujuſvis tertii ad ſuam conjugem ſit alieni tori violatio, atque adeo adulterium. Conſenſus itaque mariti uxorem, aut ejus complicem ab adulterii flagitio non purgat: immo vero maritum eodem crimine involvit, lenociniique reum facit, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. c. 1. 32. *Qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Pag. 38.

Eadem Regula confirmatur c. *Diſcretionem*, quod *Innocentii III.* Reſponſum eſt, Extra, *De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ*, cujus hæc ſunt verba: *Ex parte ſua fuit propoſitum, quod quidam cum Muliere quadam legitime per verba de præſenti contraxit, quam poſtmodum a ſe incognitam cuidam conſanguineo ſuo tradidit, in quantum potuit renitentem. Ille vero cum ipſa, licet invita Matrimonii ſollemnia celebravit: ſed mulier quam cito reddita fuit libertati, aufugit ab eo, & ſe priori viro reſtitui poſtulavit. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus: quod & viro pro tam turpi facinore gravis eſt Pœnitentia injungenda, & Mulier propter publicam honeſtatem eſt monenda ſollicite, ut nec primum repetat, cujus conſanguineus eam licet invitam cognovit; nec redeat ad ſecundum*, Cui non poteſt præter reatum adulterii commiſceri: *ſed in continentia maneat, donec prior fuerit viam univerſæ carnis ingreſſus. Quod ſi forſan ad id induci non potuerit, vir prior cogatur redire ad ipſam, & maritali eam affectione tractare: cum adulterium ei non poſſit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præſertim invitam.* Copula igitur cum aliena uxore, quamvis conſentiente, & tradente marito, verum adulterium eſt.

Sixtus V. idem confirmat Conſtitutione 46. quæ incipit his verbis, *Ad compeſcendam*; Pœnam ſcilicet capitis lege lata decernit in maritum, *Qui propriam uxorem in prædam alienæ libidinis tradiderit, & re ipſa proſtituerit, aut induxerit, ut contra jus, & fas adulteria quæſtu, aut alia quavis cauſſa palam exerceat.*

Propoſitio damnata.

Merito itaque inter alios errores hanc etiam Propoſitionem ordine L. damnavit *Innocentius XI.* Pontifex Maximus anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, menſe Martio: *Copula cum conjugata, conſentiente Marito, non eſt Adulterium, ideoque ſufficit in Confeſſione dicere, Se eſſe fornicatum.*

De adulterio.

Hanc Propoſitionem Clerus etiam Gallicanus anno 1700. judicavit *ſcandaloſam, pernicioſam, caſtarum, & piarum aurium offenſivam, & erroneam.*

REGULA II.

Cum ex Adulterio ſecuta eſt proles, Adulter, & Adultera tenentur ad Reſtitutionem omnium damnorum, ſive legitimis filiis, ſive aliis hæredibus.

Non enim *dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, cum reſtitui poteſt*; ut habet Regula Juris ex *S. Auguſtino*, immo ex ipſis legis naturæ principiis ſumpta. Cum autem ex adulterio ſecuta eſt proles, quæ inter legitimos filios educatur, ſive ut legitima ſupponitur, atque hæreditatem hoc nomine aditura eſt, grave damnum infertur filiis, aut hæredibus legitimis: igitur neceſſario reſarciendum eſt reſtitutione facta, ſi tamen fieri poſſit: nec aliter abſolutio Sacramentalis adulteris concedenda eſt. Idem dicendum, ſi expoſita ſit adulterina proles Hoſpitali Domui a parentibus adulteris. Tenentur autem ad reſtitutionem ſinguli pro rata, ſi communi conſenſu ad adulterium convenerunt: at ſi adulter Mulierem pellexit, provocavit, ipſe in ſolidum obligatur ad omnia damna reſarcienda, cum præcipua illorum cauſſa ſit. Ipſo tamen deficiente, adultera tenetur in ſolidum, quia peccato ſuo damna hujuſmodi volens procuravit. Si tamen dubium ſit, an prolem ex adulterino concubitu, an ex maritali complexu mulier ſuſceperit, nulla eſt reſtitutionis obligatio, quia *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*. Res autem dubia cenſetur, niſi vel maritus toto conceptionis tempore abfuerit, vel alia ſint adulterini conceptus argumenta, non veriſimilia ſolum, & probabilia, ſed omnino certa. Alias enim ex legitimo matrimonio natus judicatur, qui in domo legitimorum conjugum natus eſt, ſi maritus eo tempore habitat cum matre tanquam cum uxore. Nec refert, quod adultero ſimilis ſit, non putato patri: ſimilitudo enim illa ex aliis cauſſis oriri poteſt, adeoque fallax ſignum eſt. Quamobrem in favorem Matrimonii judicatur.

Modus reſtitutionis a mulieribus adulteris faciendæ filiis legitimis, aut hæredibus.

De modo reſtitutionis nunc dicendum. Mulier adultera, cui bona ſunt ex dote, aut donatione propter Nuptias, quorum liberam adminiſtrationem habet poſt mortem mariti; aut paraphernalia, quæ ſcilicet extra dotem poſſidet, ex iis compenſare debet quantum neceſſe eſt ad reparationem damnorum. Si hoc modo damnum filiis, aut hæredibus legitimis, aut etiam Hoſpitali illatum reſarcire non poſſit, det operam, ut adulterinus Monaſterium ingrediatur, ſi idoneus eſt, & partem hæreditatis illi alioquin obventuram legitimis hæredibus relinquat. Id ſi ipſi perſuadere non poſſit, curet, quibus modis honeſtis poterit, ut minorem hæreditatis portionem accipiat, ut negotiatione, induſtria plus ipſe conferat in familiæ commodum. Ipſa etiam mulier ſumptus, ornatumque ſuum minuat, quantum ſervato decore fieri poteſt, ut parſimonia ſua legitimorum hæredum ſortem meliorem faciat. Si vero damna ex adulterio ſecuta compenſare non poſſit, niſi detegat crimen ſuum marito, aut filiis legitimis, aut etiam ipſi ſpurio, illud detegere non tenetur, atque in illis circumſtantiis ſufficit, ut Pœnitentiam agat, nec ipſi Abſolutio Sacramentalis neganda eſt. Si enim revelaret crimen ſuum marito, vitæ, aut certe infamiæ periculum ſubiret. Nemo autem tenetur reſtituere bona inferioris ordinis, cum jactura bonorum ordinis altioris. Cum itaque *Melius* ſit *nomen bonum, quam divitiæ multæ* (ut dicitur *Prov.* 22.) nemo tenetur cum famæ ſuæ detrimento compenſare damnum alteri in re familiari, ſeu fortunæ bonis illatum. Hinc etiam adulteri cædes, & immortalia inter familias diſſidia facile ſequi poſſent. Filiis etiam legitimis ſcelus ſuum prodere non tenetur, vel morti proxima, vel eis dicere ſub ſecreto, unum ex ipſis eſſe ſpurium; & efficere, ut conſentiant ſinguli, ne illum nominent, illumque recipiant in communionem hæreditatis: tum quia famæ ſuæ grave detrimentum, vel moritura, ſubire non tenetur; cum vita honoris poſt mortem ipſam ſuperſtes ſit: tum quia hoc modo non reſarciretur ſufficienter damnum ex adulterio illatum; ſiquidem pactum illud inter fratres initum de relinquenda uni ſpurio portione hæreditatis, legitimum non eſſet, utpote neceſſaria libertate, quæ vim, & metum excludere debet a contractibus, & pactis, deſtitutum. In illa autem hypotheſi fratres non ſponte cederent juri ſuo, ſed metu ſolum maternæ declarationis coacti: nec filius legitimus ullum inde commodum reportaret, ſed adhuc damnum pateretur: nec jus ſuum abdicaret, ſi certo ſciret, ſe legitimum eſſe, alium vero fratrem ex adulterio conceptum. Denique non tenetur ſcelus ſuum prodere ſpurio, niſi certa eſſet illum fidei ſibi adhibiturum, atque hæreditate ceſſurum, nullumque ſibi infamiæ periculum immineret, utpote cum ille vir pius ſit, ſecreti tenax, amator juſtitiæ, & rerum temporalium minime cupidus. Sed quis eſt hic? Et aliunde filius non tenetur credere matri aſſerenti, & juranti ipſum eſſe ſpurium, niſi certis probationibus convincatur ejus conſcientia. Suam enim turpitudinem allegante nulla debetur fides, cum alterius præſertim detrimento. Deinde mulierum levitas, inconſtantia, malæque artes in ſuſpicionem non immerito veniunt. Fieri enim poteſt, ut ex ardentiori in alios filios amore cupiat eos hæredes inſtitui; hunc autem, quem odio habet, vel minus amat, ab hæreditate excludi. Tandem cum iſte in domo legitimorum conjugum natus ſit, ac educatus, & a marito matris ſuæ pro filio agnitus, præſumere poteſt ſe legitimum eſſe, niſi certis argumentis convincatur ſe ex adulterio genitum.

De adulterio.

Hæc doctrina nititur *Innocentii III.* Reſponſo, cap. *Officii*, Extra, *De Pœnitentiis, & Remiſſionibus*, cujus hæc ſunt verba: *Significaſti, quandam Mulierem in Pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam, quod timens ne viri poſſeſſio devolveretur ad alios, quorundam herbarum ſuccum potavit, & ſic venter ejus intumuit, & inde gravidam ſe oſtendens, ſibi partum ſuppoſuit alienum, timenſque maritum, non vult facinus ipſi detegere, qui prolem credit ſine dubitatione qualibet eſſe ſuam. Quoniam igitur poſtulas edoceri, utrum ei hac fraude durante ſit Pœnitentia injungenda: Reſpondemus. Quod ſicut Mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem ſuſcepit, quamvis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt Pœnitentia deneganda: ita nec illi debet Pœnitentia denegari, maxime ſi per alios intelligas alienos, ad quos timeat poſſeſſionem viri devolvi: ſed competens ſatisfactio per diſcretum Sacerdotem ei debet injungi.* Ubi Gloſſa, verbo *Deneganda*, hæc habet; *Mirum eſt, quod durante ſuppoſitione, per quam fraudantur conſanguinei debita ſucceſſione, hæc Mulier pœnitere poteſt*, contra illud 14. q. 7. C. Si res, & de Pœnit. diſt. 3. C. Pœnitentes. *Sed ipſa non poteſt detegere ſuppoſitionem: quia ei non crederetur obſtante præſumptione, quæ habetur ex Matrimonio, quod filius natus ſit ex Nuptiis*, ff. De his, qui ſui vel alieni juris ſunt.

De adulterio.